



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

2.

DESE RASMI ROTERO  
DAMI LIBER CVM PRIMIS PIVS, DE  
præparatione ad mortem, nunc primum & con-  
scriptus & æditus.

ACCEDUNT aliquot epistolæ serijs de re-  
bus, in quibus item nihil est nō nouum ac receus.



צְלִבָּתְךָ בְּמֵת אֶתְחַיָּה וְלֹא תְחַיָּה Isa. 38  
μακράριοι δι νευροὶ δι νευρίω ὁρθυνόστοιτες. Ap.14  
Mibi uiuere Christus est, et mori lucrum. Philip. 1

BASILEAE M D XXXIII

DES. ERASMVS ROTER. CLARISS V. D.  
THOMAE comiti Vuylfheriae & Ormaniae s. d.



D ipsum Christianæ philosophiæ cō-  
lophonem me uocas vir clarissime,  
sed pietatis studio quām fortunę orna-  
mentis clarior, dum adhortaris ut supe-  
rioribus addam uel breuem commentarium, quo  
modo se quisq; ad mortem p̄parare debeat. Hic  
est enim extremus humanæ uitæ ueluti fabulæ a/  
etius, unde pendet uel æterna felicitas hominis, uel  
æternum exitiū. Hic est supremus cum hoste con-  
flictus, à quo Christi miles sempiternū expectat  
triumphum si uicerit, sempiternam ignominiam  
si uictus fuerit. Evidē in hoc negotio iamdudum  
totus eram, quum adhortatio tua mihi ueluti cal-  
car accessit currenti. Quanquam tum quidem uni  
mihi philosophabar. Sed tua pietas cupit ut hic  
quoq; fructus per nos fiat multorum communis.  
Vtinam domini benignitas largiatur sanctissimis  
uotis tuis meoq; conatu felicem euentum, ego cer-  
te non reluctabor illius uoluntati, cuius instinctu  
hoc meum obsequium abste postulari arbitror.  
Vale, Apud Friburgum Brisgoꝝ Calend. Dec  
cemb. M D XXXIII.

**SODES ▶ ERASMI ROT▶**  
LIBER QVOMODO SE QVISQUE DE  
beat præparare ad mortem.



M N I V M terribilium maxime *Aristoteles*  
terribilis est mors, ait quidam  
magni nominis philosophus,  
sed qui nō audierat cœlestem  
illum philosophū, qui nos do-  
cuit non uerbis tantum, sed eui-  
dentibus etiam exemplis, hominem morte corpo-  
ris nō perire, sed distrahi, animā uelut è molestissi-  
mo carcere educi in beatam requiem, corpus item  
aliquando ad gloriæ societatem reuicturu. *Joti*  
audierat illud ἀξιωματος spiritus: Beati mortui qui in *Apoc.14*  
domino moriuntur. Non audierat Paulum la-  
mentantem, ac suspirantem, Cupio dissolui & esse  
cum Christo. Et, Mihi uiuere Christus est, mori lu *Philip.1*  
crum. Sed mirandum nō est, si qui credunt totum  
hominē morte perire, nec habēt hanc spem, quam  
sola in Christum fides nobis porrigit, quum alio-  
rum mortem deplorant, tum suam horrent atque  
abominantur. Illud potius mirandum, tam multos  
esse mei similes, qui quum uniuersam philosophi-  
am Christianam & didicerint & profiteantur, ta-  
men sic expauescūt mortem quasi aut credant nī-

a 2 hil

hil hominis supesse ab exhalata anima, aut Christi promissis diffidant, aut de se prorsus desperent, quorum primum est Sardanapalicorum, alterum incredulorum, tertium dei misericordiam ignorantium. Hac in parte similes uidentur gentibus quae deum ignorant. Deum enim ignorat, qui nescit illum esse infinitae misericordiae. Illud extra controversiam est, quod hominum uulgas sic expauescit ad mortis recordationem, partim ab infirmitate spiritu proficiunt, partim ab amore rerum mundana-  
rum.

**Rom. 14** Nescit trepidare qui cum Apostolo plena fiducia dicit, siue uiuimus domino uiuimus, siue morimur domino morimur. Itaque siue uiuimus siue morimur domini sumus. Quod autem dominus semel in suam tutelam recepit, perire non potest.

**Hinc illa prophetica vox imperterritae mentis te-**  
**psal. 22** stis: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Neque enim dominus fidelis unquam deserit qui se totos in illo fidem tradiderunt, sed custodit eos ut pupillam oculi sui. Siquidem ille dominus uite est pariter ac mortis, cui nihil est mortuum: sed uiuunt omnia, quae ipsi per fidem adhaerent. Ex fidei imbecillitate nascitur amor commodorum temporalium. Nam si toto pectore crederemus, quae deus promisit nobis per filium suum Iesum, facile uilescerent omnia

Omnia huius aitæ oblectamenta, ac mors quæ ad illa molesto quidem illo sed breui trajectu transmittit, minus esset formidabilis. Clamat ille sapiens Hebræus : O mors, quam amara est memoria tua . Sed quid addit? Homini pacem habenti in substantijs suis. Non ait , habenti diuitias : nam multi homines p̄ij , possederunt diuitias: sed in his acquiescenti. Quod de facultatibus dictum est, idem sentiendum de honoribus, uolutatibus, uxore, liberis, cognatis, amicis, de forma, iuuentute, bona ualetudine, breuiter de commode-  
rum omni genere , quæ mors p̄ijs simul ac imp̄ijs eripit. Quo impensius aliquid diligimus, hoc graduatus ab illo diuellimur. Si quid mirabere, pones inuitus, ait quidam absq; Christo sapiēs. Miratur autem hæc temporatia quisquis in illis cōquiescit, tanquam proprijs perpetuisq; bonis , quem hæc omnia cōmodatitia sint ac momentanea, non tantum æquo animo uerum & cum gratiarum actio-  
ne ponenda, quotiescumq; repetit is qui dedit. Nā in huius mundi bonis cōquiescere, frui est, quibus oportuit uti, atq; hoc ipsum etiam obiter ac uelut in transitu: quemadmodum admonet Apostolus Corinthis, Reliquum est, fratres, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint , & qui flent tanq; non flentes, & qui gaudent tanq; non gau-  
dentes.

Horatius

1. Cor. 4

dentes, & qui emunt tanque non possidentes, & qui utuntur hoc mundo tanque non utantur. Præterit enim figura huius mundi. Viatores sumus in hoc mundo. Non habitatores, in diuersis autem ijs, aut ut meus ius dicam, in tabernaculis peregrinamur, non in patria uiuimus. Tota hæc uita nihil aliud est quam cursus ad mortem, isque perbreuis: sed mors ianua

*Lxx. 25* est æternæ uitæ. Apud Iudæos quoniam contratus ad certum diem finiebantur ex legis præscripto, quo temporis interuallum erat breuius, hoc leuior erat rerum indicatura. Quanto igitur uiliora nobis esse debent hæc omnia momentanea, tot casibus obnoxia, quæ ut nullus casus eripiat, certe mors omnib. adimit omnia. Adde huc quod qui currunt in stadio, uident quantum spatij à tergo reliquerint, quantum supersit ad metam, & olim qui Iubileum expectabant sciebant quandiu liceat frui rebus emptis. At nemo mortalium est, qui certo norit se postridie uicturū: currimus sed mortem habentes in pedibus, imo toto corpore nobis scum circumferentes. Vitam gratis accepimus à domino, sed hac lege, ut omni momento reddamus reposcenti. Iam ut contingat senectus, quæ quām paucis cōtingat, nullus ignorat: quid est per deum immortalem, tota hominis ætas, nisi breuissimum stadiū, in quo uelimus, nolimus assidue currimus,

Sue

sue dormiamus siue uigilemus, siue deliciemur, siue discruciemur. Rapit nos torreis in morem perpetuu seculorum cursus, etiam si nobis aut alijs videamur conuiescere. Ergo si precia rerum mundanarum breuitate temporis aestimemus, uilissima sint oportet, quæ nec horam habent certam. Quæ uero patui aestimamus, ab ijs facile diuellimur. Quemadmodum qui domi non agunt, sed peregrinantur, si quid in diuersorij aut in uia commodi se se obtulerit nō admodum adiiciunt animum, quippe mox relicturi quod delectat, si quid incosmodi, facile perferunt: sic cogitantes, hic prandeo, alibi coenaturus. Quæ uidentur inquit Paulus, tem poraria sunt, quæ non uidentur æterna. Atq; hæc est magna Christianæ philosophiæ pars, quæ nos morti præparat, ut contemplatione rerum æterna rum ac cœlestium, discamus temporiarū ac terrenarum contemptū. Placatotam philosophiam nihil aliud iudicabat, quam meditationem mortis. Meditationem autem dixit, præparationem ac uelut exercitationem ad mortem, non aliter q; tiro cum hoste depugnaturus, ad palum exercet, se se quo dicto nihil salubrius, siquidem à philosopho philosophice dictū, Christiani Christiano sensu accipiamus. Neq; enim contemplatio mathemati carum formarum à materijs abstractarū, aut idea rum

## DE PRAEFARATIONE

rum Platonicarū imaginatio præstat, ut bene moriamur, sed si fidei oculis subinde speculemur oēm humanum sensum excedētia bona, quæ deus per filium suum Iesum promisit ipsi fidentibus, mala quæ comminatus est incredulis & inobedientibus. Hæc deterrebūt à peccando, illa prouocabunt ad bene agendum. Est quidem æterna ueritas in quibusdam disciplinis humanis, sed quæ nemini conciliat ueram beatitudinē. Hic æternus est qui promisit, æternus per quem promisit, æterna sunt quæ promittit, æternam felicitatem adferunt cum fide amplectentibus, æternam infelicitatem negligenterbus. Hæc meditatio mortis, est ueræ uitæ meditatio: nec solum hoc præstat, quod pollicetur philosophus, ut anima minus grauata demigret è corporis domicilio, uerum etiam ut cum alacritate spiritus uelut ex obsculo molesto q̄ carcere gestiens exiliat in beatam libertatem, ac lucem illam uere amabilem quæ nocte nescit. Corpus enim quod

Sap. 9 corrupitur aggrauat animam, ac terrena habitatione deprimit sensum multa cogitantem. Eoq; clav.

Psal. 141 me diuinus ille citharœdus, Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo domine. Summa felicitatis homanæ est, contemplari & laudare cōditorem, redemptorem & gubernatorem suum. Ad hunc enim finem conditus est homo.

Hanc

Hanc felicitatem hominis frequenter interpellat huius corpusculi quod circumferimus imbecillitas, tot necessitatibus, tot malis, tot periculis obnoxij. Itidem & Beatus Paulus grauatus carneo tabernaculo, miserabiliter ingemiscens clamat, Infelix ego Rom. v homo, quis me liberabit de corpore mortis hoc? Vedit enim summe beatos esse, qui habitarent in domo domini, laudantes illum in secula seculorum. Sic affecti sunt homines uere p̄ij, quorū, licet corpore degant in terra, tamen thesaurus, cor, & conversatio in cœlis est. Sed paucorum est ista fortitudo, non omnibus datū est cum Paulo dicere, Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum, &, Cupio dissolui & esse cum Christo. Nos hanc consolationem infirmi paramus infirmis, quibus tamen perfectiorū exempla ueluti stimuli sunt ad robur spiritus parandum. Est igitur per omnem uitam hæc mortis meditatio exercenda ac subinde excitanda fidei scintilla, ut crescat & corroboretur, cui copulata charitas alliciet spem, quæ non pudefacit. Nihil aut horum ex nobis habemus, sed dei dona sunt, assiduis precibus ac uotis ambiēda si desint, si adsint augenda, ut crescāt. Quo fides charitate specie comitata est firmior, hoc minor est trepidatio. Quod enim plerique sic abhorremus à mentione mortis, maxima ex parte, ut dictum est, fidei infirmitas

mitas in causa est. Atqui de dei promissis oportet esse fiduciam multo certissimam. Siquidem is est unus qui natura uerax, seipsum abnegare non potest. Cui canit Psaltes ille eximus: In aeternum domine permanet uerbum tuum, In celo & in seculum ueritas tua: qui & de seipso pronuntiat in Euangelio, Coelum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt. Quid autem promisit? Promisit uictoriam mortis, uictoriam carnis, mundi, & satanæ, promisit remissionem peccatorum, promisit eternum in hoc seculo, & uitam aeternam in futuro. Sed quomodo promisit? Per iustitiam nostram? Nequaquam, sed per gratiam fidei quæ est in Christum Iesum. Quocum secutiores essemus, prius illud chirographum quod nobis infeliciter descripsérat primus Adam, irritum fecit ac deleuit, affigens illud cruci, deditque nobis chirographum gratiæ, quod cōsignauit proprio sanguine, & innumeris prophetarum, apostolorum, Martyrum ac uirginum testimonij confirmauit, qui suo quoque sanguine subscripserūt. Subscriptis & uniuersa sanctorum ecclesia. Addidit interim & arrabonem spiritus, ne ulla ex parte uacillare possit nostra fiducia. Nec his contenta dei bonitas, huius uictoriae exemplum cuidens & insigne dignata est omnibus exhibere in filio suo unigenito. Quod enim ille uicit, utique

cit, utiq; membris suis uicit, qui se totum nobis impendit. Quid enim nos uermiculi poteramus ex nobis? Christus est iustitia nostra, Christus uictoria nostra, Christus spes & securitas nostra, Christus triūphus & corona nostra. Ille natus est puer, sed qđ nō omisit Esaias, nobis natus est, nobis datus est. Itidē nobis docuit, nobis sanauit morbos, elecit dæmones, nobis esurijt ac sitiūt, nobis contumelijs affectus est, nobis sub mortis tempus angore tædioq; uite perculsus est, nobis sudauit sanguinem, nobis uinctus ac cœlus est, nobis mortuus est ac reuixit, deniq; nobis sedet ad dexteram patris. Dam omnia mala nobis debita in se recepit, ea nobis superāda tradidit, uidelicet, iam fractis illorum uiribus, ac pro modo afflictionum addito spiritus robore. Monstrauit uincendi uiam, addit certandi uotum, certantibus auxilium suppeditat. Sic ille uincit in nobis, si modo nos in illo maneamus. Miseremus autem per fidem & charitatem. Si quis requirat, ubinam extet hoc chirographū, quod nos securos reddat, In scripturis Canonicis, in quibus legimus uerba dei non hominum. His non minus habendum est fidei, quam si deus illa tibi proprio suisset ore proloquutus. Ausim dicere, & aliquando amplius. Nam si deus per creatam aliquam speciem tibi loqueretur, fortassis quorūdam piorum b z hominum

hominum exemplo subhæsitares, nunquid fuci la-  
teret in imagine. At istam hæsitationem omnem  
nobis penitus exemit Ecclesiæ Catholicæ perpe-  
tuus consensus. In hoc ergo chirographo per om-  
nem uitam philosophari, optima ad mortem præ-  
**Rom.15** paratio est. Quemadmodū ait Apostolus: ut per  
patientiam & consolationem scripturarum spem  
habeamus. Rursus si q̄s querat quomodo & quā-  
do Christus hæc deuicit, Carnem deuicit ac uin-  
cendi rationem ostendit, quum iuxta naturam af-  
sumptam mortem exhorrescens ait patri: Verum  
tamen, nō sicut ego uolo, sed sicut tu. Et alibi de se  
testatur, non ueni ut facerem uoluntatem meam,  
sed eius qui misit me. Nihil est tam horribile natu-  
ræ humanæ, quod auxilio Christi non superetur,  
si nos totos committamus ac submittamus uolu-  
tati diuinæ, & in grauissimis afflictionum procel-

**1. Reg.3** lis semper illud optimi sensi ac laudatissimi regis

**2. Reg.10. et 15** habeamus in animo: dominus est, faciat quod bo-  
num uideat in oculis ipsius. hæc uerba magica non  
sunt, sed omnibus incantamentis efficaciora. Quæ  
quisquis ex animo pronunciarit, & in hac fiducia  
persestiterit, non est quod desperet, etiam si uniuersi-  
lum malorū agmen unà cum ipsis inferis in unum  
irruat hominem. Omnipotēs est qui pugnat pro  
nobis, quiq̄ loquitur in Psalmo: Cum ipso sum in  
tribula-

tribulatione, eripiā eum & glorificabo eum. Cum audis, cum ipso, noli tuas vires expendere, sed auxiliantis potentiam respice. Cum audis, eripiam eum, noli despondere animum, si diutius urget afflictio. Faciet ille sine dubio quod promisit, & non uit quando expeditat te leuari malis. Cum audis, glorificabo eum, certum habeto te quemadmodum Christo fuisti consors crucis, & gloriæ futurum consortem. Sed memento quid præcesserit: clamauit ad me. Tuum est clamare, & clamare ad dominum non ad mundi præsidia, non ad vires ac benefacta tua, sed ad dominū qui solus potest ab his malis eripere. Nihil hominis natura fragilis, & tamen nemo uerbis consequi ualeat, quoniam atrociibus malis ac terroribus sit obnoxia. Ut enim omittam fulmina, terræ cōcussiones, maris inundatiōes, telluris hiatus, bella, latrocinia, homicidia, ueneficarum artes: quis percenseat omnes morborū formas? Et in his cōsiderat multi sunt, tam horrendi, tam cōsiderabiles, ut ad solam mentionem contremiscat homo. quod genus sunt Epilepsis, paraly sis, exulceratio uescicæ, Phrenesis. Taceo per silentiarum subinde in peius sese aduersus medicorum remedia innouantium cerebros incursum, ut uerissime dictum sit illud.

Mille modis leti miseris mors una fatigat:

b 3 Qui

Qui fieri possit, ut nos & corporib. & animis tam infirmis, tam immanibus procellis pares esse ualeamus? Prorsus actum esset de nobis, etiam si nullum accederet peccatum, nisi dextera domini sublevaret imbecillitatem nostram. Supereft mundus non mediocre certamen afferens prijs. Mundum autem appello ueterem hominem cum actibus & concupiscentijs suis. Tametsi mundi nomine non absurde possis accipere homines huic mundo detitos, qui nunquam desierunt, nec unquam desierent summa ui belligerari aduersus Christum & huius discipulos. Verum ad hoc certamen animat

**L.**. 16 nos dominus dicens: Cōfidite, ego uici mundum.  
**L.**. 9 Quām autem ille fuerit alienus à mundanarum re  
 rum cōcupiscentia declarat quum ait: Filius hominis non habet ubi reclinet caput suum. Nam in eo quisq; reclinat caput, in quo conquiescit animus, ac uelut indormiscit. Quām autem uiolētus & improbus sit hic mundus, norunt qui serio conantur pie uiuere in Christo Iesu. Cōcupiscentias nostras in se recepit, sed nō aliter quām recepit peccatum, pro nobis dependēs supplicium quod nostris affectibus, & actis debebatur. Cæterum quicquid hic mundus habet machinarū, id totum expediuit in dominum, probra, infamiam, insidias, potentia, cruciatus, mortes. Quid nō fecit mundus, ut Christi nostri

Re nomē funditus extingueret. Et ecce uiuit ac floraret in cœlo pariter & in terra. Vicit autē dominus, non ut dormitaremus, sed ne desperaremus. Hoc item nobis tradidit non omnino mortuum, sed fractum ac uincibilem, quo nobis per certamē passata esset corona gloriæ. Si queras quomodo uincatur mundus, Ioannes intimus Christi discipulus docet. Hæc est, inquit, uictoria quæ uincit mundū: *Io. 5.* fides uestra. Certa igitur fideliter, omni fiducia connecta in dominum, nec dubita quin illius auspicijs præsidijcū victor sis euasurus. Restat peccatum in quo infeliciter nati sumus, & in quod post baptismum infelicius reuoluti, pondus graue, quippe corpus & animum demergens in tartara. Hoc q̄c onus nobis importabile, dominus in se dignatus est recipere, quemadmodū prædixerat Esaias, *53.* Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Item Apostolus: Eum qui peccatum *2. Cor. 5.* non fecit, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficemur iustitia dei in ipso. Peccatum una res est quæ inimicitiæ gignit inter deum & hominē, quemadmodū testat Esaias. At misericors pater, quoniam nullula reperiretur satis efficax hostia ad abolenda sclera generis humani, misit filium suum, agnum experte omnis maculæ, hac uere pura uictima mundum reconcilians sibi. Dixerit hic aliquis: Si per Christum

Christum sublatum est peccatum, unde sit, ut omnis mortalium uita peccatis undique scateat: Iam enim & de bonis hominibus loquor. Non susturit in totum peccatum, sed uires illius fregit, non ut nullum sit in nobis, sed ne regnet in nobis, quemadmodum regnat in his, qui non fixerunt spei suae ancoram in domino Iesu ac seruiunt concupiscentijs suis. Eoque Paulus hortatur, ne committamus, ut peccatum regnet in nostro mortali corpore. Relecta est nobis certandi materia, sed porrecta sunt arma, quibus muniti superemus. Sic efficimur iustitia dei, non ex operibus nostris, sed ex gratia dei: Per quem: Per ipsum, quem pro nobis peccatum fecit, & de peccato damnauit peccatum. Restat Satanas & peccati & mortis parens ac princeps tenerarum harum, cuius potentiam & malitiosas artes nunquam cessantes, horrent filij lucis dum tres pidi clamant ad patrem, Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Hic est ille tentator & accusator fratrum, qui iuxta Beati Petri sermonem, circuit tanquam leo rugiens, querens quem devoret. Verum & huius assultus dominus tum uicit ipse, tum uincere nos docuit. Frequenter adoratus est dominu: hoc enim subindicat Lucas quum ait, & recessit ab eo ad tempus: sed semper uictus discessit. Quomodo uictus: Clypeo scripturarum repulsus

s. Pet. 5

sepulsus, gladio uerbi dei confosus. Ergo quoties  
 ille nobis suggerit, quod pugnat cum uoluntate di-  
 uina in sacris expressa uoluminibus, uerbi diuini  
 mucrone confodiatur: atque exemplo Dauidis,  
 quinque limpidissimis lapidibus de torrente scriptu-  
 tarum collectis dejectatur. Sed nos cum hoc Gol-  
 ath cōgressuri, prius abiiciamus arma Saulis, quæ  
 est panoplia superbiæ: hæc est fiducia mundanæ  
 sapientiæ, cōfidentia uirium ac meritorum nostrorū  
 rum, quæ magis onerant quæ muniunt: sufficiat  
 nobis baculus fidei, qui consolatur ac fulcit nos in  
 hac peregrinatione, & quinque uerba quæ Beatus  
 Paulus loquitur in ecclesia. Si urgeat improbus,  
 audiat: Abi retro Satana. Iustius est obedire deo  
 ad æternam felicitatem uocanti, quæ tibi ad æter-  
 num pellicenti exitium. Hic præcipuas partes agit  
 fides, Vnde Petrus, Cui resistite fortes fide. Crede <sup>1.Pet.5</sup>  
 scripturis, ac fiduciam omnem in Christo repone,  
 & in manibus est uictoria. Est auté dæmoniorum  
 genus, quod non ejicitur nisi per precationem, &  
 ieiunium. En habes alia duo tela. Probabile est au-  
 tem Satanam, quum toties frustra fuisset adortus  
 dominum, in cruce omnes admouisse machinas,  
 quum uideret instare mortem. Hic enim est extre-  
 mus conflictus, è cuitis euentu, uel speratur æter-  
 nus triūphus, uel expectatur nota sempiterna. Ait  
 c enim

**Io. 14** enim: Venit ad me princeps huius mundi, & in me non intuerit quicquam. Nec dubium est, quin quod ausus est in dominum, audeat & in membra domini. Sed quemadmodum ab ipso uictus est, ita per illum uincetur in nobis. Quis enim oppugnat eos in quibus Christus per fidem & charitatem habitat, cum ipso Christo bellum gerit, in quo quan diu perseveramus, turpius uincetur a nobis quam ab ipso domino superatus est. Omnia possum inquit Apostolus, in eo qui me corroborat. Satanus quicum nobis conflictatio est, dicitur princeps huius mundi, non quod ullum ius habeat in ulla parte creaturarum, sed quod in his quodammodo regnet, qui mundum diligunt. Ceterum qui nos tuerit, dominus est coeli & terre, qui solo nutu plus ualeat, quam uniuersa daemonum examina cum organis suis. Solus is potuit ingredi domum illius fortis, & ipso alligato diripere uasa illius. Quid adhuc superest temptationum? Mors, mors inquam illa, ad cuius mentionem contristantur omnia. Haec nec ut depelli, nec fuga uitari, nec artibus eludi potest. Primus naturae affectus est, ut quaeque res, quod est, tueatur. At mors aduersus hunc naturae effectum minitatur exitium, hoc detestabilior, quod cõiunctissima diuidit. Nulla enim arctior copula quam corporis & animae. Et hunc horrorem nobis dominum

**Matth. 12** s. S. Solus is potuit ingredi domum illius fortis, & ipso alligato diripere uasa illius. Quid adhuc superest temptationum? Mors, mors inquam illa, ad cuius mentionem contristantur omnia. Haec nec ut depelli, nec fuga uitari, nec artibus eludi potest. Primus naturae affectus est, ut quaeque res, quod est, tueatur. At mors aduersus hunc naturae effectum minitatur exitium, hoc detestabilior, quod cõiunctissima diuidit. Nulla enim arctior copula quam corporis & animae. Et hunc horrorem nobis dominum

domini clemētia leniēt. Primum quod ipse nostra causa non grauatus est mortis horrorem, & mortem ipsam, eamq; ignominiosam iuxta atq; acerbam in se recipere. Neq; quemq; sanctorū quamlibet insignium ab hac immunem esse uoluit, non Abraham fidelem, non Mosen familiariter dilectum, non Dauid uirum secundum cor suum, non è prophetis quemq; non Ioannem Baptistam, de quo extat magnificum domini testimonium, non matrem unice dilectam, non saltem è discipulis illis, quem præ cæteris amauit impense. A primo homine usq; ad consummationem mundi, statu Hebr. cum est omnibus semel mori. Vnde Græcis dicta μόρος πάρα πολύ, quod omnibus ex æquo sit distributa, Regibus, Pontificibus, satrapis æque ac colonis & mendicis. Cuius igitur impatientiæ fuit, nolle tolerare malum, cum talibus tatis ac tam multis commune? Tu quod naturæ uelis nolis per soluendum est, refugis cum omnibus sanctis subsire? Qui natura erat immortalis, pro te factus est mortal, Et tu quū mortis natus, ac toties mortem commerueris, postulas unus omnium haberi immortalis? Hic igitur tecum reputa quot, & quales habeas confortes, & æquiore animo feres conditionem tuam. Alioqui nihilo uerecundius est indignari quod morituri sumus, q; si indignemur,

c 2      quod

quod nati sumus , aut quod homines conditi sumus non angeli. Hoc est primum mortis lenitatem, haudquaquam exiguum. Id fiet efficacius, si ueram subducamus rationem, qualia sunt quæ hic relinquimus. Multos enim distractat mors, tatum intuentes quæ commoda hic relinquunt. Tum in mentem ueniunt, iucundus solis aspectus, pulcherrima coeli machina, amoena mundi uernantis species, lusus, conuiuia, uxor, liberi, domus, horti. Sed aperiendus est alter oculus, quo perspicias, quanto plus malorum hic relinquas quam bonorum, & in his ipsis quæ bona uidetur, quantū admixtum sit calamitatis, & amaritudinis. Recurrat memoria per omnis uitæ gradus, quam sordida conceptio, quam periculosa gestatio, quam miseranda natiuitas, quot malis exposita infantia, quot obnoxia iniurijs adolescentia, quot uitijis inquinata iuuentus, quot curis districta uirilis ætas, quam calamitosa senectus: & haud scio an quenquam repertus sis tam felici sorte natum, ut si deus concedat hisdem uestigijis ab ipso conceptu per omnem actum temporis seriem ad senectutem recurrere, hisdem fructuro bonis, eadem perpeccuro mala, accepturus sit conditionem . Quam igitur insignis incognitiae est, tantopere conturbari, quum est dependendum, quod nobis si liceat ab integro repeteremus.

Simus recusaturi. Omnes nunc mala, quibus haec  
 uita sic est inuoluta, ut quidam ethnici iudicarint  
 nihil à dñis, ut illorū more loquar, homini datum  
 beneficentius, quam quod addiderint facultatem  
 abrumpendi uitam quoties uisum fuerit, & nobis  
 ille poeta non dubitarit pronūciare nullum esse  
 animal homine calamitosius. Quod si leuis est eth-  
 nici uatis autoritas, Ecclesiastes ille sacer nos ueri-  
 tus est scribere, meliorem esse diem mortis quam  
 natuitatis. Tantum de malis, nūc de bonis. subdu-  
 cito rationem, quantum curarum ac molestiarum  
 attulerint opes, à quibus nunc diuelli non potes.  
 Quanto plus aloes quam mellis attulerit uxor, cu-  
 ius amore nunc horres mortem. Quantum attu-  
 lerit solitudinis liberorum: educatio, quantum  
 offensionum ac dedecoris illorū mores. Adde his  
 animum hominis semper in peius uergentem. Ut  
 enim nō sit in omnibus, certe in plerisq; uerum est  
 illud Augustini. Qui maior est ætate, maiore est ini-  
 quitate. Deniq; pone ad dexterā huius uitæ com-  
 moda, ad leuam incommoda, & expende totius  
 ævi quod hic agimus, breuitatem. Infantia nō sen-  
 titur, adolescentia præteruolat aliud agentibus, iu-  
 uentus excipitur uarijs curis, senectus obrepit im-  
 prudētibus. Quid autem est h̄ec tota summa, nisi  
 punctum ad illam æternitatem ad quam emigrat

c. 3. mus.

mus, siquidem hic pie uixerimus: extrahimur, si int  
 pie. Harum rerum seria contemplatio non leue res  
 medium est aduersus horrorem mortis. Alterum  
 est, hoc etiam efficacius, quod dominus pro te mo  
 riens effecit, ut mors quæ prius erat transitus ad ini  
 feros, nunc sit ianua coeli, & quæ olim fuit initium  
 æternorum cruciatuum, nunc sit aditus coelestium  
 gaudiorum, ut iam Christo fidentibus mors non  
 solum damno non sit, sed summopere lucifera.  
 Ac ne qua pars hominis desideraretur, ipse resur  
 gens cum sanctis compluribus fecit nobis certissi  
 mam spem, fore ut corpora reuiuiscant in nouissi  
 mo die, iamqe glorificata recipiat suam quæqe ho  
 spitem animam, solatio deinceps futura, non one  
 ri. Sed de morte mox incident dicendi locus. Ut au  
 tem peragamus, quod nunc agimus, Superest his  
 omnibus in unum aceruum cōflatiss terribilius ma  
 lum, Tartarus, unde negant redire quenquam, ab  
 sorbens omnia, nec unquam reddens deuorata. Hoc  
 21 est barathrum desperationis, & ut Apocalypsis lo  
 quitur, mors secunda. Cogitet quisqe qualis sit illa  
 vita, ubi summū malorū est immortalitas, ubi ma  
 gna cruciatus pars est dæmonū & impiorum ho  
 minum societas, ubi ignis nunquam extinguedus,  
 ad quem noster collatus, metà glacies est: adde  
 quod illuc incendium est minima dolorum portio,  
qui

qui tamen tanti sunt, ut ab hominis intellectu comprehendendi non possint, sicut nec piorum felicitas. In malis licet grauissimis, licet diutinis, aliquid tamen leuamenti adfert spes, ueluti stellula quædam procul allucēs in densissima caligine, sed gehēna cum summis malis summam habet desperationē. Huius igitur horror superat omnem horrōrem, quem tamen clementissimus redemptor ut nobis mitigaret, in se recipere dignatus est. Quod in horto expauit, & angore extremo sic correptus est, ut suadet sanguinem, nostræ naturæ erat infirmitas. Quod autē affixus cruci clamat, Deus meus, deus meus qui deseruisti me. Longe à salute mea uerba delictorum meorum, uidetur gehennæ horrorem animo persensisse. Quid enim superest à deo destitutis, nisi extrema desperatio? Nec mirum uideri debet, si hanc tristissimam affectionem in se recepit, qui peccata omnium in se receperat, ut utrumque malum nostris uiribus insuperabile, sua misericordia redderet superabile? Nec ista minuunt dignitatem redemptoris, sed ineffabilem arguunt charitatem erga genus humanum. Sub eiusdem typo David loquitur in Psalmis: Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me, & præoccupauerunt me laquei mortis. Nos gehennam merueramus, ille innocens ex pauescit.

pāuescīt pro nobis, quo si similiſ affectus inuadat  
 animūm nostrūm ex scelerūm conscientiā uel ex  
 imbecillitātē naturāe, nō abiiciam̄ nos metiſ pos,  
 sed in Christūm intentis oculis etiam desperando  
 speremus. Desperet licet caro, desperet ratio, tamē  
 ex ipliſ inferis fides clamet ad dominū, quem  
 admodum Ionas iam deploratus de uentre Ceti  
 clamauit & exauditus est. Nam & id commōstrat  
 Psalmus, quum protinus adiungit. In tribulatione  
 mea inuocauī dominū, & ad deum meū clamaui.  
 Et exaudiuit me de templo sancto suo. Dei tem-  
 plū ecclesia est, hæc est arx fidei, urbs fortitudinis  
 nostrāe Sion. Huc si quis uel ab extremis inferis in-  
 tendat clamorem uiua adhuc scintilla fidei, exaudi-  
 tur. Ergo quum uniuersae uires hominiſ detinere  
 sunt ad inferos, fides tamen clamet cum beatissi-  
 mo Iob: Etiāſi occidat me sperabo in eum. Nam  
 hoc est cū fiduciā magistro Abrahā contra spem  
 in spē credere. Hęc igitur tanta mala domini boni  
 tas nobis nō mitigauit ac fregit tantū, ut licet laces-  
 sant ac territent, tamen extingue non ualeant, ue-  
 rumetiā extrema damna nobis uertit in opimum  
 lucrum. Quid enim lædit peccatum adhærentes  
 Christo? Quid? n̄iſ ut ubi abundauit peccatum,  
 abūdet & gratia, & plus diligit, cui plus dimissum  
 est. Quid proficit Satanās indesinenter incessens  
 membra

**membra Christi:** Quid: nisi quod auget illorum  
 præmia, & illustrat coronas. Quin & ea mala, quæ  
 nobis iuxta mortalitatis conditionem cum p̄ijs pa-  
 titer & impijs sunt cōmunia, redemptoris clemen-  
 tia uertit nobis uel in lucrū, uel in medicinā, quan-  
 quam & hic lucrum est: in lucrum, si à peccatis im-  
 munes ista toleranter ferimus domino gratias a/  
 gentes pro omnibus: in medicinam, si quid residet  
 in nobis repurgandum uel sectione uel ustura, uel  
 amaro pharmaco. Quo de genere sunt, morbus,  
 paupertas, senectus, orbitas, aliaq; innumera, qui-  
 bus tota hominum uita est undiq; obsita. Hæc si  
 nos ad murmur, desperationē, aut blasphemiam  
 pertrahunt, Satanæ fiunt instrumenta, proq; re-  
 medij fiunt uenena. Sin ob id tantum perferan-  
 tur, quia uitari non possunt, quo animo cōplures,  
 qui Christum ignorabant, constanter cruciatus ac  
 mortem pertulerunt, naturæ sunt afflictiones. Sin  
 ea tanquam de manu propitij parentis obedien-  
 ter atq; etiam cum actione gratiarum recipimus,  
 reputantes quanto acerbiora commeruimus, & q;  
 dira Christus innocens passus sit pro nobis com-  
 meritis, iam non sunt afflictiones, sed salubria re-  
 media, aut cœlestium præmiorum incrementa. Il-  
 lic agendæ gratiæ indulgentissimo parenti, qui fla-  
 gellat omnem filium quem recipit, interim molli/  
 bus ac

bus ac brevibus remedij sanans ulcera nostra, ut parcat in futuro seculo: Hic laudanda Imperatoris nostri benignitas, qui militibus suis subministrat uirtutis materiam ut coronet magnificenter. Vtrobique magnum est lucrum, nisi forte mediocre lucrum uidetur, quum capitali morbo laboras, deuorat amara catapotia, leuique ac temporaria molestia, & mortis periculum effugit, & perpetua sanitatis dulcedine fruitur, aut quum miles ob unius horulae conflictum, summas per omnem uitam opes, summosque honores consequitur. Et hoc quoque pacto dominus noster clementissimus omnia pertrahit ad se, si modo ad signum illud in sublimi propositum oculos intenderimus. Attrahit ad se omnia mala nostra, eaque uertit in lucrum nostrum, & gloriam suam, quam nobis sibi per fidem insitis communicat. Quid autem lucrificium, qui in rebus aduersis oculos auertentes a Christo, deo obmurmurant? Hoc ipsum quod necessario perferendum est molestiae, sibi conduplicant, uel decuplant uerius, & pharmacum male sumendo uertunt sibi letale uenenum. Haec nimis est sublimis & efficax philosophia, ac mortis meditatio, in qua si sanus ac ualens diligenter fuerit exercitatus, hunc mors non opprimet imparatum. Ex his autem quae dicta sunt colligere licet quadruplicem esse mortem.

tem, Spiritualem, naturalem, transformatoriam,  
& æternam. Naturalis est separatio animæ à cor-  
pore. Spiritualis est separatio dei ab animo. Quæ  
admodum enim anima est uita corpori, ita deus  
est uita animæ. Hæc peperit naturale, quod ad ne-  
cessitatem attinet, ut est sane pia ueterum theolo-  
gorum opinio. Ex utraq; nascitur mors gehennæ:  
si coeant inter se mors spiritualis ac mors natura-  
lis. Post mortem enim corporis, non est locus pœ-  
nitentiae. Supereft mors qua transformamur ab  
imagine ueteris Adæ in imaginem noui Adæ, qui  
est Christus dominus. Hæc est separatio carnis à  
spiritu. Nec hic mediocris est lucta, ne spes quidē  
ulla uictoræ, nisi Christi spiritus adiuuaret infir-  
mitatem carnis nostræ. Sed illius gratia in nobis  
occidit ueterem hominem, ut iam agamus nō spí-  
ritu nostro, sed spiritu dei, nec ipsi uiuamus, sed ui-  
uat in nobis Christus. Hæc felicissima mors an-  
cuiquam ad plenum obtigerit in hac uita nescio.  
Domini tamen liberalitas, quod nostræ deest im-  
becillitati, de suo supplere dignatur. Hæc mors ex-  
petenda est, summoç; studio per omnem uitam  
meditanda. Quemadmodum Beatus Paulus scri-  
bit Corinthijs: Semper mortificatione Iesu Chri-  
sti in corpore nostro circumferentes, ut & uita Iesu  
manifestetur in corporibus nostris. Eodemhorta-  
tur

¶ tur Colossenses: Mortificate membra uestra quæ sunt super terram. Non iubet erui oculos, aut amputari manus, aut execari genitalia. Sed quæ membra? Addit, fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiscentiam malam & avariciam. Vulgus hominum luget mortuos, at Beatus Paulus.

**Ibidem.** Colosensis gratulatur hanc mortem. Mortui, inquit, estis, & uita uestra abscōdita est cum Christo in deo. Hęc mors mater est uite spiritualis, quę admodum peccatum mortis. Spiritualis pater est, atq; etiam gehennæ. Sed in his mortis generibus præpostere sese gerunt pleriq; mortales. Ad memoriā mortis corporalis quām inhorrescimus. Veteres ob id ipsum habebāt inuisam cupressum, quod in funeribus soleat adhiberi, & apium, quod eo coronarentur sepulchra, nec hodie desunt, qui ad turis odore diris execrationibus utuntur, quod ut arbitror hinc in funere fiat suffitus. At mors spiritualis horribilior est sexcentis mortibus corporis, & ad hanc ultro alacresq; festinamus, gloriantes quum male fecerimus, & exultantes in rebus pessimis. Exanimamur quum periculū obiicitur, ne anima corpus hoc miserū destituat, felicius extra carcerem uiictura: quanto iustius oportuit exanimari quoties periclitamur, ne deus æterna uita deserat animam nostram. Domum in qua defun-

ctus

**Q**uis est aliquis funestam uocamus, & obturatis  
maribus præterimus. Atqui Sapiens iudicat longe  
melius, ire ad domum luctus, quam ad domum Eccles. 7.  
contiuij. In luctu natura contristamur. Sed hæc  
tristitia quia secundum deum est stabilem in no-  
bis salutem operatur, dum nos commonitos no-  
uissimorum reuocat ad pœnitentiam, nec sinit nos  
peccare in æternū. Feliciter intersunt luctui, qui sic  
deflent mortem alienam corporis, ut incipient se  
ipsos lugere, morte grauiore exanimatos. Vtrum  
igitur potius, amarum deuorare catapotium, ut u-  
nius horæ molestia lucrifacias perpetuam sanita-  
tem, an in cōuiuio bibere mulsum toxicum quod  
breui delectatiuncula morte adferat? Sed harum  
cerum multis adeo nulla habetur ratio, ut in lustris  
cantent ebr̄ij, sibi plaudant qui fraude rem dome-  
sticam reddiderunt auctiorem, triumphet qui sce-  
leratis artibus emerserūt ad honores. An non uul-  
gus hominū, in delicijs ac uoluptatibus carnis uo-  
lutiari, uocat uiuere? At, qui sic uiuunt, bis mortui  
sunt. Primū quia spiritu dei uacant, dein quia iam  
tum filij sunt gehennæ. Quemadmodū enim pio-  
rum carne mortuorum uita abscondita est in deo  
apparitura simul cum Christo: ita in his qui se car-  
ni dediderunt, abscondita est mors gehennæ, quam  
circunferunt, apparitura in extremo iudicio. Peccai-

d. 3. torem

torē in hac uita sola spes separat à gehēna. Quan-  
diu enim spirat homo, spes est ueniæ. Verū etiam  
atq; etiam uidendum, ne spes quæ non profici-  
tur à fide & charitate det nobis uerba. Sic sibi blan-  
ditur aliquis: Iuuemis sum, fruar hoc mūdo, ubi ad  
senectutem uenero pietatem colam. At ὁ δεῖ  
quis tibi promisit senectutem? Alius, dum floret  
ætas, indulgebo genio. Vbi ducta erit uxor, inci-  
piam esse frugi. At ὁ αὐτόκολαξ, qui scis an per-  
eadie sis uicturus? Est fortasse qui cogitet, aliquan-  
do siam monachus, ibi deplorabo uitam male a-  
ctam, interim fruar mundo. Ut uita suppetat, quis  
tibi pollicitus est istam uoluntatē, quæ cupiat pro-  
uoluptatibus amplecti poenitentiam? An istam  
mentem sibi quisquam dare potest? Ut ad cor re-  
deat peccator, sola Christi gratia præstat. Verum  
ille libere dat eam, quibus uult, & quādo uult. Cer-  
te quod ad peccatorem attinet, iam nunc in gehē-  
na est. An nō prodigiosa cæcitas est, ut homo qui  
in tā horribili statu sit, sibi diē præfigat, ad quem  
uelit resipiscere, cui in puteum delapso aut in carce-  
rem coniecto lenta uideretur omnis eduentium  
festinatio. E puto statim inclamat opem homi-  
nis, & in tantis malis constitutus, non protinus im-  
plorat auxiliū dei, q; solus excitat mortuos? Quis  
quis igitur in uita mortem transformatoriā dili-  
genter

genter meditatus fuerit, tum mortem spiritualem  
ac gehennæ uehementer horruerit, minus horre-  
bit imminentem mortem corporis, quæ non sepa-  
rat à deo, sed deo propius iungit, finem semel im-  
ponit cunctis afflictionibus, quibus hæc uita tun-  
ditur undiq; & transmittit ad sempiternam quiet-  
em. Ais, Transmittit in requiem, sed piorum ani-  
mas. Recete, mors enim peccatorum pessima. Ergo  
dum uiuis ac uires, da operam ut sis de numero iu-  
storum. Nam iustus & ille est, qui ex corde agno-  
scit ac damnat iniustitiam suam, territusq; gehen-  
na, confugit ad asylum diuinæ misericordiæ, & ad  
salutifera poenitentiæ remedia. At qui per omnem  
uitam, perinde quasi sint immortales, indulgent  
affectibus suis, ad uoces dei toties tā amanter puo-  
catis ad poenitentiā Toronēo littore, ut aiunt, sur-  
diores, qd mirū si perturbātur quū urget extrema  
necessitas. Tūc res est cū morbo qui nō sinit quicq;  
aliud agi, cum medicis, cū hæredibus, cū legatarijs  
& captatoribus, cū creditoribus ac debitorib. cum  
uxore ac liberis, cū œconomis ac famulis, cū amicis  
& inimicis, cū exequijs ac sepultura, cū confessioni-  
bus, dispensationibus ac censuris, cum restitutioni-  
bus ac placationibus, cum uarijs conscientiæ scrupu-  
pulis, postremo & cū fidei dogmatibus. Adde his  
cum mūdo, quem quoniam nimis dilexit, inuitus  
relinquit.

relinquit, insuper cū ipsa morte corporis, ad quam præparatus non est, deniq; cum Satana, qui tunc omnibus urget machinis, cum gehenna, quæ tunc omnes terriculamentorum suorum laruas ingerit.

Atqui ad tantum negotiorum agmen non sufficit ille temporis articulus, sed summa cura agendum, ut ad illum extremum, omniumq; grauissimū conflictum homo ueniat quam maxime expeditus.

Roget aliquis quibus modis id possit effici. Audia mus Ecclesiasten bene consulentem: Memento inquit creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antecq; ueniat tempus afflictionis tuæ. Audiamus & Ecclesiasticum: Ante iudicium para iustitiam tibi: ante langorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga te ipsum, & in cōspectu dei inuenies propitiationem. Ante languore humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam. Salubre consilium, etiam si notus nobis esset dies mortis. Nunc multo magis id faciendum est, posteaquam omnis dies cuiq; pro ultimo debet haberi, quum nesciat an aliis sit illi successurus. Dum uiuimus ac ualeamus discutiamus, quantum licet, negotiorum tricas: ac prius quam nos morbus lecto affixerit, disponamus domui nostræ. Primum est meminisse creatoris, ut per synceram confessio nem & poenitentiā cum illo redeamus in gratiam.

Examinemus

Examinemus conscientias nostras , amputantes  
 quicquid ibi repererimus iniurium deo , ut quum  
 morbus nos protrudet ad tribunal dei , inuenia-  
 mus propitiationem . Qui rebus florentibus cerui-  
 ces erigunt aduersus deum , nonne uidemus quam  
 semet abiiciat si morbus ualidus minetur morte ?  
 At quanto gratius deo , si ad quod ægritudo sero  
 compellit , mature nostra spote faciamus . Proster-  
 namus nos ipsos cū Publicano , & Euangelica pec-  
 catrice in conspectu dei , lacrymis , eleemosynis , pre-  
 cibus , alij scqz prijs operibus placantes iram dei , & in  
 tempore ægrotationis talis erit mors , qualis fuerit  
 uita nostra . Quidam abhorrent à condendo testa-  
 mento , quasi hic insit aliquid funesti ominis . Hæc  
 est nostræ carnis infirmitas . At qui testamentum  
 ð bone conditum nō efficiet , ut citius moriaris , sed  
 ut quietius . Hac in parte felicior est in cœnobij be-  
 ne moratis agentium conditio , quod ab omnibus  
 curis testamentarijs liberi sint . Cæterum qui libe-  
 ros habent , aut fratres , aut alioqui legitimos hære-  
 des , prouideant ne qua in diuidundis bonis naſca-  
 tur inter fratres & affines contentio : qui nō habet ,  
 ne relinquant posteris litium ac rapinæ materiam  
 Breuiter sic ista digerant explicitqz sani , ut nihil  
 necesse sit in morbo curis huiusmodi intempesti-  
 vis torqueri . Praeterea si quibus perplexis casibus  
 e inuolutus

inuolutus est aliquis, puta de matrimonio, de certis suris ecclesiasticis, de uotis, de restitutionibus, aut recōciliationibus, eos sanus ac ualens explicet, nec ullas tricas reseruit in extremum diem. Recte faciunt, qui morientes hæredibus mandant restitutioñem fraude partorum, sed longe consultius faciunt, qui ualentes id faciūt, quod alijs sæpenumerato mandatur frustra. Itidem recte faciunt, qui morituri condonant offensas omnibus à quibus laeti sunt, ac uicissim orāt sibi condonari, si quid in quē deliquerunt: sed longe deo gratius, & ad conscientiæ quietem tutius est, si idem faciat ualentes, non ob mortis metum, sed ob amorem Christi. Recte faciunt, qui morientes legant opum sua: in partem in subsidium pauperum, sed uictima fuerit multo gratior Christo, si pro modulo facultatū ipse subleues proximorū inopiam. Nec enim semper pertinet ad egenos, quod illis destinauit moriens, & si perueniat, iam alienum est non tuum quod impenditur. Quid quod morbi complures eius sunt generis, ut non dent spatiū super his statuendi: ne iam commemorem casus subitaneos, & inopinatos, qui licet non omnes opprimant, omnibus tamen sunt expectandi, quia possunt omnibus accidere. Quemadmodum accidit illi stulto Euangeliō, qui sibi pollicitus lögam ac suauem uitam au-

dig.

dit, hac nocte repetunt abste animam tuam. De-  
precantur omnes mortem subitaneam & impro-  
uisam. Siquidem nusquam non audimus has uo-  
ces, à subitanea & improuisa morte libera nos do-  
mine. Quid est quod orant isti? An omnis inopi-  
nata mors detestanda est? Nequaç. Iustus enim <sup>sep. 4</sup>  
quacunq; morte præoccupatus fuerit, in refrigerio  
erit. Necq; enim potest esse mala mors quantum,  
uis subita fuerit, quam uita bona præcessit. Quin  
igitur sic oramus: A mala uita libera nos domine.  
At qua fronte uocamus mortē improuisam, quæ  
se quotidie omnibus sensibus ingerit nostris? Ab  
infantia nostra quid aliud audimus q̄z geritus  
morientium, quid aliud uidemus quām efferri fu-  
nera? quām pompas lugentium? quām monumen-  
ta, ac defunctorū titulos? Quod si nos leuiter tan-  
gunt aliena, quoties nobis proprius mors uellicat  
aurem funeribus affinium & cognatorum propin-  
quā naturæ necessitudine nos cōtingentium, & av-  
amicorum quos mutua charitas nobis arctius ad-  
glutinarat, q̄z ullos cognatos iungunt naturæ fœ-  
dera. Et si hoc quoq; parum est, quoties nos ipsos  
admonet fragilitatis nostræ? Quis enim nostrum  
est, qui non aliquoties in uitæ discriminé adductus  
sit, uel tempestate, uel latrocínio, uel bello, uel rui-  
na, uel pestilentia, uel morbo? Quocunq; te uertas  
e 2      mors

mors in insidijs est. Domus cuique tutum est refugium. At quam multos opprimunt tectorum ruinæ. Terra solidum elementum, nonne interdum subsidēs totas absorbet ciuitates? Ipse aer quo spiramus ac uiuimus, sēpē numero mors est, quemadmodum cibus ac potus. Postremo fames ac sitis nonne quotidie mortem minitatur, nī remedium adhibeas? Quid quod quoties nominatur homo, mortis admonetur. Idem enim nobis declarant, mortales & homines. Quid igitur agunt qui deprecantur mortem improuisam, nisi ut suam accusent improvidentiam? imparatis enim omnis improuisa mors est, etiam si centenario ueniat. Improuisam appellas, quam omnibus sensibus īgerentem se se atque impingentem non uides? Sic impro

*Luc.17* Luc. 17 fuit diluuium imp̄ijs, qui Noe iustitiae praeconem, dum appararet arcam irridebant, edentes, bibentes, iungentes coniugia, quasi nō esset eveneturum, quod deus minitabatur. Sic improuisum Sodomis obtigit exitium, qui Loth emigrantem irridebant. Idem euenisset Niniuitis nisi ad Ionæ prēconium egissent pœnitentiam. Quisquis nouit se deum habere iratū, omni momento vindictam expectet, imò uitet potius exemplo Niniuitarum ac Dauidis. Terribilis est ira domini, sed si nos ipsos deiecerimus ad pœnitentiā, in ira sua recordabitur

dabitur misericordia. Ad Iona hospitis denuntiationem Niniuitæ conuersi sunt ad poenitentiam. At nos ad tot domini nostri denunciationses surdi, mortem deprecamur improuisam. Tot exemplis ac parabolis inculcat obliuiosæ tarditati nostræ, ut ad omne momentum simus parati, Noe, Loth, & Luc. 13;  
Mat. 24. 25

eorum quos ruina turris in Siloa inopinantes oppressit. Addit similitudinem furis nocturni, fidelis œconomia, decem uirginum, ac toties in clamat: Vigilate quia nescitis diem neq; horam, & nobis ulla mors uenit improuisa. Venit sed iproudus, aut ut melius dicam surdis, cæcis ac stupidis, qui nec dominum in clamantem audimus, nec quod sese oculis ingerit uidemus, nec quod undiq; pungit sentimus. Nec refert quod Dominicus sermo loqui uidetur de supremo mundi die. Nam cuiq; supremus uita dies, supremus mundi dies est. In consummatione mundi palam celebrabitur uniuersale iudicium, sed interim singulorum animæ simul ut corpus reliquerint, suum ferunt iudicium, licet nobis ignotum. Dominus autem utrumq; diem æque nobis ignotum esse uoluit, hac quoq; parte declarans indulgentissimam erga nos charitatem. Etenim quum nunc uideamus intolerabile diuitum ac malorum uiolentiam, quid faceret, si scirent se diutius existuros. Rursus inferni, ut sunt pleriq; mortales,

e 3 si certo

si certo scirent se peruenturos ad senectutem , huc prorogarent exactioris uitæ studium: rursus si certum haberent pauculos uitæ dies superesse, tristes & anxij uiuerent, & ad multas actiones reip. frugiferas redderentur segniiores . Nunc hoc temperamento usq; est supremi numinis prouidetia, ut cum &tis hominibus mors adeo sit certa, ut singuli non minus certo sciant se morituros, quam sciunt natos esse, utq; nec summi nec infimi sibi possint uana spe blandiri : rursus dies mortis adeo incertus , ut eum dominus nec sibi charissimis notum esse uoluerit. Itaq; fit, ut impij minus laedat bonos, & boni sic abstineant a malis operibus, quasi sint post die morituri, sic incumbant bonis operibus , quasi diu uicturi. Quid igitur sibi uolunt, qui ad Chiro mantas, astrologos, physiognomuntas, genethlia cos, uentiloquos, numeros Babylonios & magos currut, ut sciant æui modum. Clamat Ecclesiastes, nescit homo finem suum , sed sicut pisces capiuntur hamo & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, quum eis extem plo superuenerit: & nos ab his uolumus scire finem nostrum qui ipsi finem suum nesciunt: An quod Christus æterna ueritas nesciri uoluit ; quia scire non expedit, inuitio Christo discent a uanis hominibus: An Christianis placet exemplū impij Sau

lia

lis? Quid autē illi profuit malefica, nisi ut his moreretur. Sunt, & ī quidem non mali, qui petunt à deo certum mortis genus , orant ut certos menses decumbant, quo uel hoc tempus impendant pœnitentiæ & confessioni. Sanctius est illorū uotum, qui mortem optant,qua minime molesti sint suis. Hoc enim à charitate proficiscitur. Sed firmioris est fidei , mortis genus ac spatiū ægrotationis deo cōmittere. Nouit ille quid nobis expediat & quod nobis est optimū dabit. Sunt innumeræ mortis formæ, & in his quædam horribiles, siue quod subito necent, quod nonnullis in ipso accidit conviuio, siue quod acerbos ac diutinos habeant cruciatus, ut paralysis, & ischiace, siue quod abominandam habent speciem , ueluti qui tenaci pituita præfocati nigrescunt, siue quod usum linguae, mentisq; sanitatem adimant, ut apoplexis, phrenesis ac nōnullæ febres, aliæq; peculiares, quæ homines impellunt ut se præcipitent, aut in puteum insiliant, aut laqueo præfocent guttur, aut gladio seipsoſ confo diant . Sunt enim morbi qui interiora mentis organa uitiant, quos uulgs dæmoniacos appellat. Ne ex his quidem iudicandus est homo, quando Chrysostomus monachum dæmonio obnoxium amantissime consolatur . Quanquā ea mortis genera, quæ manifestam habent speciem impietatis,

Christiane

Christianæ pietatis est deprecari atq; abominati. Contra quosdam uidemus tam placide emori, ut obdormiscere nō emori uideantur. Sed quæcunq; acciderit mortis forma, nullus hinc æstimandus est. Ne de ijs quidem qui ob commissa facinora dant poenas legib; licet mortem sortiantur infamem, temere iudicandum est. Nam fieri potest, ut qui ob excitatā seditionem dissecatur in quatuor partes migret in angelorum cōtubernium, quum alius in ueste Franciscana moriens ac religiose se pultus demigret ad inferos. Dominus est qui de his iudicat. Varijs modis suos exercet ac purgat deus, sed ut dixi nulla mala mors haberi debet, quam bona uita præcesserit. Interdum qui placidissime expirant, demigrant ad æternos cruciatus, contra qui miserabiliter torquentur, euolant in reuquietum. Quidam optant plenam confessionem ante mortem, supremā unctionem, & eucharistiam, non dissimili ut appareat animo, atq; olim quidam prorogabat baptismum in extremum usq; diem, nec prius accersebat baptista, quām medicus profiteretur in arte sua parum esse præsidij. Quis se mel optamus contingere, quod quotidie à nobis fieri & debet & potest? Optimum enim cōsilium est, ut quisq; suam conscientiam priusq; se somno tradat, diligenter excutiat, & si quod crimen eo die commissum

conscissum deprehenderit, rindat pectus, cumq;  
lacrymis à domino ueniam postulet, & implorata  
ope divina certum sumat propositum uitæ corre-  
ctioris. Nec est quod quisquā hic dicat, Distineor  
uarijs negotijs, nō uacat. Ad rem tam necessariam  
quarta pars hore sufficit. Non est longum dicere,  
Peccauī, miserere. Et hoc satis est si quidem dicatur  
ex animo. Nemo somno se tradens, certus est fore  
ut expurgescatur. Quantum igitur discriminis est  
in eo statu obdormire, in quo si nos opprimat  
mors somni germana, & soror fratrem excipiat, in  
eternum perierimus? Tantum periculum brevis-  
sima cogitatione licet effugere. Hoc quotidie apud  
deum. Apud sacerdotem uero dei uicarium, aut  
quater, aut sepius in anno syncera cōfessione pur-  
gare conscientiam plurimum attulerit tranquillita-  
tis, efficietq; ut moriente nō admodum torqueat  
confessionis anxietas. Porro quoniam in mortis  
articulo præcipuum solatium est, dominicæ mor-  
tis contemplatio, ac totius ecclesiæ communionis,  
qua; est corpus Christi: profuerit ad utruncq; dili-  
genter exerceri in vita, ut actio subinde repetita  
transeat in consuetudinē; consuetudo in habitum,  
habitū in naturam. Id fiet, si repurgata ab omni  
affectu peccandi conscientia, frequenter sumamus  
panem mysticū, ac de poculo mystico bibamus,

f quando/

quandoquidem hoc sacramentum duo quædam  
 nobis commedat, capit eximiam erga sua mem-  
 bra charitatem, & membrorum inter ipsa societa-  
 tem arctissimam. Quicquid boni est in corpore, à  
 capite Christo defluit: quicquid autem boni est in  
 corpore, membrorū omnium cōmune est: quem-  
 admodum in corpore animali, licet diuersa sint  
 membra, uarijs officijs destinata, tamen uita à ca-  
 pite proficiscens eadem per omnia membra dif-  
 funditur, tam indiuidua societate, ut, quemadmo-  
 dum docet Beatus Paulus, si doleat unum mem-  
 brū, dolor ad omnia perueniat, si gaudeat unum  
 membrum, gloria sit omnium communis. Nimi-  
 rum hoc est quod dicitur in Symbolo Apostoloro-  
 rum: Sanctam ecclesiam, sanctorum communio-  
 nem. Nec enim cōtractior est in corpore mystico  
 Christi gratia, quam in animali corpore natura.  
 Religiose faciunt, qui urgente mortis uicinia, mi-  
 tut ad monasterium Cartusionorum aut Franci-  
 scanorum, ut orent pro laborante, sed efficacius so-  
 latium est, si cogitet ægrotus, uniuersam ecclesiam  
 esse pro suo membro sollicitam. Quum autem ec-  
 clesiam dico, quam beatam, quamq; numerosam  
 societatem dico, quæ prophetas, quæ Apostolos,  
 quæ tot martyrum ac uirginum examina, quæ tot  
 animas deo charas complectitur. Hæc uniuersa se-  
 dalitas

Galitas pro uno quolibet Christi membro periclitante orat assidue, suisque meritis ac precibus labo-  
 tantem subleuat. Neque uero tua refert, quod non  
 cernitur oculis ecclesia. Nec animam tuam uides,  
 cuius beneficio uiuunt ac mouentur omnia corpo-  
 ris membra. Non potest esse pauper ecclesia, quae  
 tam diuini capiti coniuncta est, in quo habitat om-  
 nis plenitudo diuinitatis corporaliter: nec destitui  
 potest membrum, quod a tot sanctorum milibus  
 subleuatur. Capitis charitatem ac beneficentiam  
 erga nos præcipue testa est crux pro nobis redimen-  
 dis suscepta. Harum rerum memoriam ac uim no-  
 bis renouamus, quoties cum fide debita reueren-  
 tia carnem domini comedimus ac sanguinem bi-  
 bimus. Simulque admonemur, uniuersos esse unū  
 corpus qui eodem pane uescitur, & de eodem bi-  
 bunt poculo. Ne quis igitur despondeat animum,  
 si membrum est infirmum ac languidum, quum  
 caput habeat omnipotens, neue sibi destitutus ui-  
 deatur, qui totius ecclesiæ meritis, precibusque sub-  
 leuatur. Ad harum itaque rerum contemplationem  
 si quis in uita fuerit diligenter exercitatus, in morte  
 plus adferent solati. Tum enim suapte sponte oc-  
 current uelut animæ familiaria. Proinde mea sen-  
 tentia rem piam commenti sunt, qui Dominicæ mor-  
 is historiæ per certas horas partiti sunt, quo pueri  
 confuesce

consuecerent singulis diebus aliquam illius portionem commemorare cum gratiarum actione. Qui uero substituerunt Liturgiam de virgine, ut rem non impiam excogitarunt, ita, si phas est uestrum fateri, uinum uerterunt in aquam. His rationibus optime fit, ne mors subitanea & improuisa nos opprimat. Deserendi liberi dulces, uxor chara, amici dilecti, agri culti, structuræ magnificæ, opes amplæ. At miles Christi hæc omnia negligere meditatus est, cuius anima uelut in præsidio corporis excubat, ad omne momentū expectans imperatoris classicum, quo iubeatur inire prælium,

**Esa. 58** semper erectus ad illâ uocē: Dispone domui tuæ, quia morieris & non uiues. Corpus habet nō prædomo, sed p tabernaculo, nec ibi recōdit thesaurū suū, sed quod ad diurnū dimensum satis est, in zona gestat, semper in excubijis uigilās, semper armis habens in procinctu, aduersus hostiū inopinatos incursus, neq; quicquā duri recusat, modo placeat imperatori cui dedit nomen. Militia, inquit Beatus Iob, est uita hominis super terram. Huius militis tñonem adhortatur sapiens ille Sirach. Fili accedes ad seruitutem dei, sta in iustitia & in timore, & præpara animam tuam ad temptationem. Seruitus dei est professio militiæ Christianæ. Stare militis est in acie accincti ad prælium, Sta in iustitia, non in

non in superbis, quæ se erigit aduersus deum, sed  
in iustitia. Dormiunt ac iacent, qui militant huius  
mundo. Sed Christi miles stat accinctus ad omne  
opus bonum. Opus optimū est, bene mori in do-  
mino. Plurimum enim fiduciæ aduersus Satanam  
addit uita innocenter acta. Fides nescit dare locum  
hosti, spes nō nouit succubere, charitas suppeditat  
stanti commeatum. Sed quum uita innocenter a-  
cta cōciliat fiduciam, quur additum est in timore?  
Si iustus es, quid times? Si nō es, quomodo stas?  
Hic timor non est ille desperationis pater, de quoq;  
Solomon Pigrum deficit timor: quem foras ejicit,  
charitas, sed optimus innocentia custos. Timor fi-  
liorum sanctus permanens in seculum seculi. Qui  
stat, inquit Apostolus, videat ne cadat. Ac rursum:  
Tu autē fide stas, noli altum sapere, sed time. Est  
timor domini sanctus, extimulās ad bona opera,  
ac depellens à malis, & est timor serui nequā, per-  
trahens ad ignauiam. Timens, inquit, abi & ab/  
scondi talentum tuum in terra. At timor iustitiae  
comes efficit, ut nostris diffisi viribus, alacrius ope-  
remur præsidij spiritus, ac circumspectius. Serue-  
mus dona dei. Præterea omnis hominum iustitia,  
quamvis perfecta cōtremiscit, quoties uocatur ad  
tribunal iustitiae diuinæ, in cuius cōspectu nec astra  
sunt munda & in angelis reperitur iniq[ua]tas. Quid,  
f 3 ni nos

Rom. 11

Matth. 24

Job 4. 8 25

ni nos infirmi & in luteis domicilijs habitates, metuamus hoc iudicium ; quum Iob à deo probatus dicat: Verebat omnia opera mea , sciēs quod non parceres delinquenti. Si lotus fuero quasi aquis nūis, & fulserint uelut mundissimæ manus meæ, ta-

**1. Cor. 4.** men sordibus intinges me . Et Paulus miles Iobe exercitator, dicat: Nullius malī mihi conscius sum, sed nō in hoc iustificatus sum. Sequitur & præpara ta animā tuam ad temptationem. Variæ sunt temptationum formæ, quibus milites suos explorat deus, sed omnium grauissima tentatio est mors . Tum enim uere cominus res geritur, nec est uelitatio, sed utrinq; summa ui de rerū summa decernitur. Ad hunc igitur conflictum semper præparandus est animus. Quid enim hic faciet miles pugnæ rudis, qui nunquam cum hoste conflixit, qui nec uiires illius, dolos, artes & insidias, nec suam uirtutem unquam expertus est? Magna uictorię pars est, cum hoste noto bellum gerere. Ita fortissimus ille miles

**2. Cor. 2.** uel dux potius Beatus Paulus: Vt nō circunueniamur, inquit, à Satana. Non enim ignoramus cogitationes illius. Quid mirum si nouit technas illius qui cum toties conseruerat manus, omni periculo rum genere exercitus . Tum admouetur ignis qui declarat quale cuiusq; fuerit opus, & cui superstrutum fundamēto. Atq; hic videmus interdum fieri, quod

¶ quod usū uenit in militia mundana: qui timido-  
res uisi sunt in castris, & ad tubæ signum expallue-  
runt, in ipso conflictu reperiuntur fortissimi: cōtra  
qui nondum proprius urgente periculo uidebātur  
admodum feroceſ, in ipſo prælio sunt formidolo-  
ſiſſimi. Ita ſunt qui ſani iactant quietem & ſecuri-  
tatem conſcienciac, ſe paratos ad extreſum diem,  
imò cupere ex hoc calamitoso ſeculo profugere,  
fretos fide nescio qua, quod Christus nobis pro-  
miſit uitam, & pro peccatis noſtriſ poenaſ depen-  
dit, neganteſ referre, cuiuſmodi ſint noſtra opera,  
bona an mala. Vnum illud ſatiſ eſſe, ſi credamus  
noſ fore ſaluoſ. At uereor ne multi ex hiſ, qui dū  
incolomi ſunt ualetudine iactat hanc ſecuritatēm,  
ualde trepidant, ubi propius urget extreſum diſcri-  
men, & ille dies præſto eſt, quo non uerbis, ſed ue-  
niſ res agitur. Exaggerant quantum ſit nephas du-  
bitare de promiſſis dei: at nulli magis trepidant,  
quam qui non dubitant de promiſſis dei. Etenim  
qui non credit gehennam paratam ijs qui uiuunt  
impie, ſed morte cum totius hominiſ interitu ad-  
ferre finem malorum omniū, minus horret mor-  
tem. Fides igitur gignit in impijs timorem dei, qui  
eſt initium sapientiae, attenteſ beato Job. Ti-  
mor dei ipsa eſt sapientia, & recedere à malo intel-  
ligentia. Item Eſaias; A timore tuo domine conce-  
pimus.

pimus & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum  
salutis. Lucæ 3. populus territus ad prædicationē Iesu  
annis baptistæ, qui inuitabat ad poenitentiā, dicēt  
Iā securim ad radicē arboris esse positā, dicit, Quid  
faciemus? At nisi ereditissent Ioanni, nō dixissent,  
quid faciemus? Similiter in Actis Apostolorum,  
multitudo territa prædicatione Petri, ex fide con-  
cepto terrore, cōpuncta corda, dicit Petro & Apo-  
stolis reliquis: Quid faciemus uiri fratres? haud  
quaquam dictura, nisi fides adfuisse stimulans con-  
scientiam metu gehennæ. Hæc uero trepidatio, &  
tiam in homine pie uiuente non nascitur ex diffi-  
cile erga deum pollicentem & comminantem,  
aut ex incredulitate articulorum fidei, aut ex ha-  
bitatione de efficacia sacramentorū, quam habent  
ex morte Christi, sed oritur ex conscientia nostre  
imbecillitatis, quæ malor est quam ut à nobis pos-  
sit ad plenum intelligi. De singularibus autē non  
cogimur esse securi, quanq; de nullo desperandum  
est. Veluti necesse est credere, quicunq; cum fide  
percipit sacramētum baptismi, recipere criminum  
omnium gratuitam remissionem, at nō est neces-  
se credere, hunc baptizatum esse liberum ab omni-  
bus peccatis. Nam fieri potest, ut in hoc homine  
fuerit aliquid peculiare impediens generalem sa-  
cramenti uim. Idem sentiendum de sacramēto pot-  
entia;

nitentiae. Impium est dubitare , an sit absolutus à peccatis , qui rite suscepit hoc sacramentum . Non est tamen hæreticū dubitare , an hic aut ille sit absolutus , quoniam de peculiaribus impedimentis nobis non constat . Excipio singularē & evidē tem reuelationem aut irrefutabilem autoritatem , quum non sit expressa scripturarum aut ecclesiæ cōsentientis autoritas , quæ compellit in diuersum . Hæc hæsitatio non est incredulitas , sed religiosa modestia , toto pectore submittens se uoluntati , iudicioq; diuino , etiam si uelit hominem damnare . Non enim ideo damnabitur , sed hac ipsa submissione promerebitur absolutionem , si religiose trepidationi iuncta sit ex Christi misericordia uenientes fiducia . Huius generis est , quod adferunt de Eucharistia . Cogimur in genere credere , quod sacerdos rite fungens suo officio consecrat corpus & sanguinem domini , uerum nō est impium subha- sitare an hic aut ille consecrarit . Nam hoc non est dubitare de sacramento , sed de peculiaribus circunstantijs impedientibus uim aut rationem sacramenti . Similiter necessario creditus , homines per fiduciam & charitatem erga dominum Iesum salutem æternam assequi ,phas tamen est dubitare , an hic aut ille sit in illo statu . Quanquam nec de alijs tenere iudicandum est in malam partem , & in nos-

g  
bis simul

Peculiaria  
monta S.

bis simul cum incremento fidei & charitatis cresce-  
re debet spes. Idem sentiēdum est de promissis ac  
minis scripturarum. Non enim ex deo qui mentiri  
non potest, sed ex nobis oritur dubitādi materia.  
Non ignorat homo, quām exīmia bona promise-  
rit deus, sed timentibus ac diligentibus ipsum. At  
quotus quisq; nostrum est, qui timorem præsticit,  
ut tali domino, amorem, ut tali parenti debitum?  
Non dubitant igitur an deus sit uerax in promis-  
sis, sed an ipsi sint digni promissis. Fides, spes, chari-  
tas, timor, dona sunt spiritus. Quis igitur nouit an  
fides & charitas quam habet, sit ex hoc donorum  
genere, quæ nos reddunt deo gratos, & an suffici-  
ant ad salutem eternam? Similiter deus per filium  
promisit ueniam omnium scelerum, sed semel per  
baptismum, si rite suscipiatur. Cæterum quotus  
quisq; nostrum est, qui uestem candidam gratis  
in baptismo datam non multis modis inquinari?  
Paratum est remedium peccatiæ, sed toto cor-  
de conuersis ad dominum. Hic excutiat se quisq;  
num toto corde sit conuersus ad dominum, num  
cor habeat uerè contritum & humiliatum, & si ha-  
bet, an iuxta sufficientem modum. Clamat Bapti-  
sta: facite fructus dignos peccatiæ. Quis ausi-  
sibi arrogare, quod sic ut dignum est oderit ac de-  
testetur peccata sua? Comminatur deus iram ac  
gehennam

*Luc.3*

gehennam uiolantibus præcepta sua. Quoties autem nos illius timore abiesto uiolauimus causa? Quotumquemque reperias, qui tunc magis metuat iram principis aut iudicis hominis, quam dei uiui. Tum quoties sit, ut homo magis amet hominem quam deum, pro mortali amico sustinens, quod in dei gratiam perpeti recusaret? Evidem in hac sum sententia, ut existimem piorum hominum fiduciam semper cum religioso tremore coiunctam esse, paucos exceptio, quos deus eximios habere uoluit, uidelicet ad exemplum quod extimulet omnes, sed asservantur pauci. Certius sperant domini misericordiam, qui tremunt illius iustitiam. Proinde qui dicunt, crede te fore saluum & saluus eris, bis peccat. Etenim si de qualicunque fide loquuntur, falsus est sermo: si de uiua, inepte dicitur crede, quasi cuius in manu sit credere, quem uelit, cum hoc quod haud scio, non certi simus, an fidei donum sit in nobis. Quid quod homo non tantum alijs hominibus, uerum etiam ipse sibi frequenter ignotus est, quum oculos dei nihil quamuis abditum possit fallere. Cor hominis inscrutabile est nobis, sed illum nullus latet sinus cordis, qui fixit cor. Nobis igitur numero uidetur prius, quod impium est in oculis dei, prius quod impurum est. Ita sit, ut homo se credit immunem a peccatis, quum insciens habeat sicut

g. 2. clam

tiam cōscientiā. Quid ni hoc nobis accidat, quum

**Psal. 13** egregius ille Psaltes dicat: Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me domine. Utissimum igitur asylum est, cum religioso tremore à iustitia dei confugere ad misericordiam, & cum Psalmo-

**Psal. 142** grapho dicere: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. In hoc igitur iudicio nemo poterit subsistere si nostra merita ad diuinam trutinam expendan-

**Iacob. 2.** tur, nisi misericordia supexultet iudicio. Eoqz praecessit in eodem psalmo: In ueritate tua exaudi me, in tua iustitia. Quisquis exaudiri cupit remittit contumaciam, & qui cupit exaudiri in ueritate dei, suæ diffidit ueritati, sciens quod solus deus uerax, omnis autem homo mendax: & qui roget exaudiri in iustitia dei, suæ diffidit iustitiae. Veritas autem & iustitia dei, Christus est, Euangelicæ gratiæ minister. Per Mosen enim lex data est, quæ prodidit iniustitiam nostram, sed gratia per Christū Iesum facta est qui nobis suam communicauit iustitiam. Nos toties mentimur deo, quoties uiolamus leges illius in quas iurauimus ad fontem regenerationis: & toties iniusti sumus, quoties conditori ac redemptori non rependimus uices, immo abnegamus illum, quoties à pactis recedimus: sed quamuis nos abnegemus illum perfidi, ille constanter fidelis est

seipsum.

seipsum abnegare non potest, ubique uerax in promissis, ut iustificetur in sermonibus suis, & vincat quum iudicatur. Pater igitur exaudit nos in sua <sup>Psal. 50</sup> ueritate, qua per filium promisit nobis remissionem peccatorum, exaudit autem non in nostra, sed in sua iustitia, quia per filium iustificat omnē credentem, fide purificans corda nostra. Beati sunt igitur qui seruiunt domino in timore, & exultant illi cum <sup>Psal. 2</sup> tremore. Quid ni tremant homines peccatis obnoxijs, quem tremunt angelorum exercitus? Ante iudicium timere bonū est, ut in iudicio inueniamus misericordiā. Ex humanis historijs discimus, quanta cum exultatione Beatus Andreas ad crucem accessit. At contra, non paucos uiros pietatis opinione celebres, accipimus sub mortem magno tremore fuisse conturbatos, expauescentes dei iudicium, totamque vitam anteactam damnantes. Refertur enim de quodam, cui sub morte trepidanti quum dixissent qui aderat fratres, quid est quod sic expauescas, quum per omnem vitam pietatem colueris: ita respondit, O fratres, multo alia sunt hominum iudicia, alia dei. Similes uoces emisisse dicunt Benedictus, Bernardus, & Augustinus. Eadē igitur fides, & tremorem incutit, & tremorem uincit: incutit, ostendens quantus sit quem in multis offendimus: uincit, ostendens nobis Christum cœ*g 3 ius*

noſtra

ius charitas purgat peccata uæstra , gratia supplet imperfectum nostrum. Ut autem non statim fortitudinis aut fidei signum est , mortem non expauescere , nam interdum est stuporis ac uæcordiæ, interdum scythicæ cuiusdam immanitatis : ita ad mortem imminentem expauescere , non semper est diffidentiæ, aut malæ conscientiæ signū. Non nunquam affectio mere naturalis est pro uarietate corporum, in alijs moderatior, in alijs uehementior. Sic mortem exhorruit Ezechias, uir qui corde perfecto uersatus fuit apud deū, exhortuit autem non obmurmurans deo; sed cum lacrymis deprecans, & exauditus est. Noui ego quasdam, quæ ad solam mortis mentionem contremiscerent, at iisdem urgente mortis uicinia nihil fortius aut constantius. Horror enim ille non ueniebat ex mala conscientia, sed ex peculiari sexus aut naturæ imbecillitate. Affectus autem naturæ, si uirtute superentur, augent coronam, nō arguunt diffidentiam. Similiter uideas ingenia quædam φίλαυτα, quæ sibi facile in te quauis satisfaciunt. Sunt rursus putridula, sibi ipsis nusquam satisfaciētia, etiam si quid recte gesserint, quibus si admoureas omnia solatia, tamen sentiunt animi remorsum, ad diffidentiam solicitantem: atq; hinc coniiciunt, se se nondum habere deum placatum, quia nunquā sentiunt tranquillitatem

quillitatem conscientiae. Verum si naturam distinguamus à uirtute, nec admodum suæ tranquillitati fident, qui sibi quocunq; modo placent, nec protinus spem abiçcent, qui mentem habent semper in deteriora uergentem. Istuc naturæ peculiaris uicum est, non uoluntatis, quod negligendum est si uinci non potest, & quod dictat spiritus pro rate habendum, utcumq; reclamet caro. Arbitror & illud esse naturæ, quod homines quibus instat extremus dies, sic ferè immutantur, ut nihil eorum probent, quæ sectati sunt in uita, non quod impia sint, sed quod humana & à perfectione recedentia. Quanquam aduersus hos naturæ affectus, spiritus robore pugnandum est, licet ex eis nec alios iudicare conueniat, nec nos ipsos. Redeamus igitur ad id quod institueramus, ostēsuri quibus modis subleuari possint homines, ut pleriq; sunt infirmi, quos mors uicina consternat, in quorum uita multa obliuio, multa negligentia, multa cessatio, & omnino multo plus criminum quam benefactorum, & si quid benefactorum est, multa rubigine uitiatum, ut illa ingerere in conspectum dei, nihil aliud sit quam deum irritare. Animus ad mortem aut omnino paratus nō est, aut leuiter instructus. Huic in eo articulo quid faciemus? Nemo desperatus est, quādū spirat homo. Vrget supremum certamen

certamen, Spatium breve est, opus est expedito consilio, Quid inquam huic optimo iure perturbato suadebimus? Primum si legitimos habet haereses, consultum fuerit, ut omnem curam testamenteriam ad illos relegeat. Primum hoc non nihil est compendij: si minus per codicillos, aut si qua via commodior negotium hoc quam breuissime absoluat: eo peracto submoueat omnes de rebus huius seculi obstrepentes: in quo supra modum pecant complures, qui iam animam agenti ingerunt scrupulos de testamento, de cibis rebus externis, interdum & morientem cogunt subscribere, id est detestantem & inuitum ac detestantem illorum importunitatem, per quos mori non liceat. Quibus amicis quid esse potest inimicius? Dein si morbi ratio patitur, animæ priusquam corpori mederi studiat per exomologesim breuem, sed synceram & fuci expertem, & a sacerdote cum plena fide summaeque reverentia poenitentiaz remedium accipiat, ex intimis præcordijs dei misericordiam imploret, sumatque uitæ castigatioris propositum si contingat reualescere. Quod si forte non est parata sacerdotis copia, ne protinus quod solent superstitione quidam trepidet ac despondeat animum, sed ipsi deo ex corde confiteatur iniustitiæ suam, qui pro sua clementia mentis affectum pro facto dignabitur

tar accipere, & quod deest externis sacramentorum signis de suo supplere peculiari gratia. Per illum quidē efficacia sunt omnia sacramenta, quæ quodammodo signacula sunt diuinæ erga nos beneficiæ: sed idem absq; signis quum opus est consultit hominum saluti, tantum ut absit negligentia & contemptus sacramentorum, adsit autem fides & prompta uoluntas. Hæc ideo uisum est admonere, quod frequenter uideamus quosdā ualde perturbari, si uideantur absq; exomologesi Ecclesiastica, Eucharistia, & unctioē suprema decessuri. quia huiusmodi uoces audimus è cōpluribus: Ille Christiane mortuus est, ter confessus est ante mortem, & omnia sacramenta percepit. Rursus cruce signatus nos, si quæ audicrimus absq; his ritibus diem obijisse. Illud certe Christiani hominis est, optare ne quid desit sacramentorum. Sunt enim magna solatia mentium, nostræcū fiduciae adiumenta, & Christianæ sinceritatis est, omnē quum licet implere iustitiam: Sed magis Christianum est, optare fidem & charitatem, sine quibus illa nihil conducūt. Verū ex his externis nō oportet quemq; iudicare, nisi cōstet nobis ea per contemptū aut cōtemptui parē negligētiā fuisse præterinssa. Evidē arbitror multos, nec absolutos à sacerdote, nec percepta Eucharistia, nec unctos, nec ecclesiastico ritu

h sepultos

sepultos demigrate in requiem, quum alijs ceremo-  
nijs omnibus solēniter peractis, atq; etiam in tem-  
plo iuxta summum altare sepulti, rapiantur ad invi-  
fersos. Exempli loco sint qui naufragio, aut capitio-  
supplicio, aut alioqui repentino morbo casuue su-  
bito perierunt. His igitur addēda est fiducia, ut cer-  
to credant se non minus absolutos, quam si sacer-  
doti fuissent confessi, nec minus accipere gratię sp̄i  
ritualis quam si synaxim, & unctionē extremam  
percepissent. Tantum adsit, ut modo dicebam, ar-  
dens fides, ac prompta uoluntas. Quod si adsit sa-  
cerdotis copia, & morbi uis nō patiatur integrum  
exomologesim, que longiore requirit orationem,  
cū intima cordis submissione confiteatur, se totum  
peccatorem esse, & à sacerdote pio affectu petat  
absolutionem, plenaq; fiducia sese credit absolu-  
tum. Quoties nos à concupis̄ excludit necessitas,  
deus pro sua bonitate mentis affectum amplectit  
tur. Proinde qui in hoc rerum statu torquent ho-  
minem confessione generali, aut exomologeseos  
iteratione, anxia circumstantiarum discussione, sin-  
gulorum criminum enumeratione, an rem piam  
faciant ipsi uideriat, certe rem meo iudicio faciunt  
intempestiuam. Sufficiat tum una eaq; breuis sed  
syncera confessio præcipuorum criminum quae oe-  
currunt animo: aut si id non licet, ardens exomo-  
logos.

gēlos affectus. Ad hæc, si læsus est à quoquam, vindictā ex animo remittat. Si qui læsit indignus est cui noxa condonetur, Christus dignus est, in cuius gratiam deponatur ulciscendi affectus. Ne hic igitur reputet quām atrociter sit læsus ab hoc & ab illo, sed quām multa ipse sibi à deo condonari postulet. Si quem ipse læsit, curet illum quātum licet reconciliandum. Si is nolit redire in gratiam, precetur illi mentem meliorem, ipse quia quod potuit præsttit, excusatus est apud deū. Si requiruntur bona opera, nullum opus efficacius ad imperadum domini misericordiam, quām in gratiam Iesu Christi, & ad illius exemplum, qui pendens in cruce orauit pro ijs per quos erat adactus ad crucem, & à quibus cōuicījs incessebatur cruce grauioribus, ex animo gratis & condonare, quicquid in nos peccauerunt homines: & haud scio an ullum opus magis arduum, eoq; cum primis à domino petendum. Sed tamen huc adiuuat ipse morbus, qui frangit humani spiritus ferociam, & ad ignorantium reddit mitiorem. Hic nonnullæ partes sunt eorum, qui adsunt laboranti, ut ægroto excusant affectum vulgarem, quo multi credunt per exomologism, Eucharistiam, & unctionem extream accelerari mortem: persuadeantq; potius, id quod res est, his modis maiorem esse spem regnandi.

b. & cuparanda;

cuperande sanitatis, siue quod animus æger mor-  
bum conduplicat, siue quod non raro corporis ad-  
uersa ualetudo manat ab animo, postremo quod  
deus citius audiet uota supplicantium pro reconcil-  
iato quam pro irreconciliato. Deinde ut sacerdo-  
tem adhibeant, qui linguam habeat eruditam, ut  
sciat sustentare qui laetus est uerbo, quiç sic mor-  
deretur alloquium suum, ut nec nimium bladiens  
fallat ægrotum, nec intempestiva austерitate coni-  
ciat in desperationem, nec baculum fractum com-

minuat, nec linu fumigans extinguat. Nam utrāq.  
in partem peccatur à multis. Nec temere quos uis.  
admittat ad ægrotum, sed eos duntaxat, quorum  
alloquio subleuetur. Eas personas arceat, quarum  
aspectus ægroti possit affectum peccandi reuoca-  
re, ueluti turpium uoluptatū aut aleæ socios, siue  
atroces inimicos. Medicorum opem nec asperne-  
tur, nec adoret. Summa spes fixa sit in deo, qui uero  
solus inserit animā corpori, ita solus eximit quum  
qult. Interdum tamen accersendus medicus, ne ui-  
deamur tentare deum, præsentim in morbis præ-  
sentaneis, quos medici uocant acutos. Turba me-  
dicorum arceatur, non tantum ob id, quod quem  
admodum Græcorum prouerbio dicitur, multitu-  
dinem imperatorum perdidisse Cariam, ita mul-  
tos ægrotos frequenter extinguit medicorum mul-  
titudo.

Situdo: uerum etiam quod horum officiosa sedulitas, dum aliis aliud suadet, & quisq; alieno pericu lo affectat uideri sapere, atque interim pharmaca pharmacis cumulantur, sit ut non uacet ægroto iustam curam impendere rebus animi. Porro quum propius urget periculum, efficacissima solatia sunt admouenda: quo tempore quidam emigraturo blandiuntur, multi & ipsi sibi blandiuntur uulgaribus parumq; efficacibus remedij. Veluti quum alius suadet, ut iubeat se sepeliri in ueste taliū aut talium monachorum, aut ut uotum deo nuncupet se si cōualefcat Cartusianorum institutum professurum. Quin potius admonendus est ægrotus, ut ab hoc uotorum genere temperet in morbo: satis esse si proponat uitam in mclius cōmutare: de forma uitæ suscipienda deliberet sanus, perturbatiōnibus ac metu liber. Displacet enim deo stulta pro missio. Stulta autem est, quam ab animo conster nato extorquet terror. Alius dicit, morere securus, ego intra annum pro te adibo Hierosolymā, aut limina Beati Petri crepam nudis genubus, aut ingressiar antrū Patricij, quod est apud Hybernos. Noui sc̄eminam nobilem ac prudentem, quæ sacerdoti legauit bonam pecuniæ summam, ut annum Romæ quotidie sacrificaret, quasi missæ Romanæ sanctiores sint q̄z Britannicæ. Et tamen ea h 3. pecunia

pecunia melius fuisset collocata, si obligasset eum sacrificium, ne unquam Romam adiret. Nam mihi familiariter notus erat, quem arbitror magis sacrificasse Vulcani coniugi quam deo. Alij suadent ut alicuius probati monasterij aut ordinis omnia nefacta redimat. Non inficior, magnum esse solatum in communione sanctorum, uerum enim aero an tales contractus ratos habeat deus ambigo. Mea sententia praesentius remedium est aduersus desperationem, si laboranti ponatur ob oculos totius ecclesiæ communio, quæ latissime patet, complectens quicquid ab initio mundi fuit piorum hominum qui deo placuerunt, quo in cœtuberno sunt & angeli. Tota hæc sodalitas uotis ac precibus adiuuat laborantem, expectas speciosam uictoriam. Quur igitur abiçiat clypeum, qui tam numerosas copias habet auxiliantes. Si spem facit unius monasterij deprecatione, in hoc numero sunt uniuersa monasteria. Non hæc eo dixerim, quod non conducat certorum hominum preces implorare, aut minus utiles esse rear paucorum deprecations, præsertim quæ perficitur ex Christiana liberaçõ charitate, sed quod ad erigendam spem ægroti utilior sit uniuersitatis contemplatio. Sic enim dilatatur animus. Sed omnium efficacissimum est solatum à Christo nunquam dimouere fidei oculos, qui se totum

Totum nobis impendit, quem habemus aduocatum apud deum, qui nunquam nō clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. In huius petræ cauernas semet occulat, in huius uulnera sese abdat ægrotus, & tutus erit à Satana. Quocunq; auocat callidus ille serpēs, hic semper oculos habeat ad serpentem illum æneum in sublīmi stipite fixum, ad cuius cōtemplationem Paulus reuocat Galatas, qui ideo cōperat uacillare, quod à crucifijo deflexerat oculos. Non occident uolantium spirituum uenenati morsus, si fides immotis oculis intueatur signum illud salutis æternæ. Christus in cruce pendens signum est triumphale, signum uictoriæ, signum gloriæ semperiternæ. Nobis ille pugnauit, nobis uicit, nobis parauit triumphum, tantum ut huc intentos & uigilantes habeamus oculos fidei. In prælijs humanis non parum habet momenti ad uictoriam, quod in Socrate laudat Alcibiades, nunq; conniuere. Sed in hoc conflictu qui nobis est cum hoste spirituali, tota uictoriæ spes est in oculis, sed multum interest discriminis. Illuc obseruatur undiq; inten-  
 tis oculis, quid agat hostis: hic ad Satanæ molitiōnes cæci ac surdi, tantum ad gratiæ signum habemus defixos oculos, & ad redemptoris uoces aures habemus arrestas. Satanas ea ingerit animo,  
qua-

quæ exaggrerant dei iram. At Christus in cruce pendens ostendit argumenta misericordiæ. Satan as oblatrat, quæ demergunt ad desperationem: Christus loquitur quæ erigunt in spem. Nam fides sicut habet oculos sic habet & aures. Vtruncq; sensum ab anima requirit spiritus sanctus, qui loquitur Psalmo 44. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam. Audi quod præcipit spōsus tuus, & vide quid promittat, & si videbitur absurdū, tantam felicitatem pararam collocantibus fiduciam in domino Iesu, inclina aurem tuam ut ea quæ superant hominis sensum, ob hoc ipsum tredas, quia dominus est qui promisit, cuius misericordia nō minus est incomprehensibilis quam omnipotentia. De his auribus meminit Psalmus 84. Audiam quid in me loquatur dominus. Ne auscultes quid in te loquatur caro, quid Satan as, quid humana ratio, nihil enim loquauntur nisi desperationem: sed audi quid loquatur dominus, loquitur enim pacem in plebem suam. Ecclesia plebs est domini, gens pecularis & populus acquisitionis, in hoc esto, & audies dominum loquentem pacifica. Sequitur, & super sanctos suos. Hic rursus concidit infirmitas humana exclamās: O me perditum, peccatis onustus sum, quæ mihi societas cū sanctis? Atqui non dicit, super sanctos legis aut Mōsi, sed super sanctos suos.

Etos suos. Sancti illius sunt, quos per filium sancti  
 sicut au-  
 dicauit. Si nondum etiam conquiescit animus, au-  
 di quod sequitur, & in eos qui cōvertuntur ad cor.  
 Noli expēdere criminum magnitudinem, tantum  
 resipisce, & audies dominum intus loquentem pa-  
 tem. Sermo pacis erat, quē audiuit nobilis illa pec-  
 catrix: Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Dic  
 cum Dauide, sed dīc ex animo: Peccāui domino.  
 Duobus uerbis paratam & exertam ultionem uer-  
 teris in misericordiam. Tales aures habebat qui di-  
 cit, Holocaustum & pro peccato non postulaſti, Psal. 22  
 aures autē perfecisti mihi. De oculis loquitur Psal-  
 mus 12. Illumina oculos meos ne unquam obdor-  
 miam in morte, ne quando dicat inimicus meus,  
 præualui aduersus eum. Vides hic uictoram in o-  
 culis esse potius quam in manibus. Corporis ocu-  
 los obscurat mors, sed non est quod de nobis glo-  
 rietur hostis noster, quandiu lucet in animo fides  
 nunquam dimouens oculos à Christo crucifixo.  
 Quin totus hic psalmus hoc agit, ut hominem in  
 agone constitutum ac de desperatione periclitan-  
 tem erigat, diuinæ misericordiæ contemplatione.  
 Ideo sequitur, Qui tribulant me exultabunt si mo-  
 tus fuero, hoc est, si fide uacillauero. Audis pericu-  
 lum ingens, sed accipe præsens auxilium. Ego au-  
 tem in tua misericordia sperauī. Sed unde miseri-  
cordia;

Lxx. 7  
2. Reg. 12

cordiæ spes: Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo domino qui benefecit mihi. Salutare dei Christus est, nec est aliud nomē in quo nos oporteat saluos fieri, Act. 4. Tantam uim habet Christi pro nobis crucifixi contemplatio, ut desperatio uertatur in spem, spes uertatur in exultationem. Ex qui prius desperationi uicinus dicebat: Qui tribulant me exultabūt si mortuus fuero, nunc dicit, Exultabit cor meū in salutari tuo. Audis uictoriā, nunc audi triumphum: Cantabo domino qui bona tribuit mihi. Qui non habet sua bona quæ caritet, cātet bona, quæ gratis largitur deus per filium. Si nostris benefactis confidimus, exultabit aduersarius: sī in domino Iesu figamus sacrā ancoram spei, conciderit hostis noster, quemadmodum exultās dicit Apostolus Ro. 8. Si deus p̄ nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiā cum illo omnia nobis donabit? Quis accusabit aduersus electos dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnnet? Hac ratione fit, ut subito rerum uices inuertantur, & Christi præsidio uictoriā auferat, qui uidebatur deploratus, & hostis fractus ac repulsus abscedat, qui iam exultare coeperat. Hæc nimirum est uictoria fidei, de qua Beatus Ioannes in Epistola, . Omne quod natum est

Est ex deo, uincit mundum, & hec est uictoria quæ  
vincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui  
uincit mundum, nisi qui credit, quod Iesus est filius  
dei, quem pater uoluit esse uictimam pro peccatis  
humani generis? In hoc gradu quādiu constituerit  
Christi miles, quatūuis circūsiliat, quantūuis incur-  
set hostis, uincit nō poterit. In hoc autē extremo con-  
flictu illud summa ui molit' hostis, ut ægrotū ad-  
ducat in desperationē, quod est inter oīa criminā  
grauissimū. Eoq̄z tum contra nitendū est, ut labo-  
ranti undiq̄z ingerantur quæ in spem erigant, ani-  
mumq̄z corroborent. Ad id adiuuabit imago cru-  
cifixi ægrotantis oculis ex aduerso proposita, quæ  
memoriam infirmā ægroti subinde renouet. Nec  
non picturæ sanctorum, in quibus dominus exta-  
re uoluit bonitatis ac misericordiæ suæ monumen-  
tum, peccatricis Euangelicæ, Petri post abiuratum  
dominum flentis, ac similium: deinde recitatio lo-  
corum è scripturis diuinis, quæ nobis cōmendant  
immensam dei misericordiam, & erga genus hu-  
manum charitatem: præcipue uero quæ dominus  
Iesus pro salute mundi, tum facere tum pati digna-  
tus est. Sunt autē huiusmodi loca innumera, quæ  
magnum & efficax solatium adferre possunt ani-  
mo labascenti. Siquidem in hoc articulo Satanas  
congerit in hominis mentē quicquid fidei speiçp

i 2 scintillam

scintillam potest extinguere. Exaggerat maiestatem ac iustitiam dei, cotes spretā ac violatam, Amplificat illius in hominem lenitatem ac munificenciam , per omnem uitam neglectam ac reiectam, hoc ipsum torquens in argumentum desperacionis, quod ueniae spem alere debuerat. Ingerit tot annos male consumptos, tot omissas occasiones quæ ad benefaciendum inuitarūt, & si quid recte gestum est deprauat ad calumniam . Tentat & fidem hominis, ut dubitet de scripturarum autoritate , de cęc dogmatibus quæ nobis tradidit ecclesia, philosophorū & hæreticorū rationes in animum suggestis, perplexas cęq; quæstiones, de mundo condito ac redempto, de immortalitate animarum, de resurrectione corporum, de Christo, an fuerit uestus deus & homo, de sacramentis ecclesiaz, quam uim habeant, de præscientia ac prædestinatione dei, omnia detorquetis ad diffidentiam ac desperationem , huc etiam scripturarum testimonia despiciens, quod ausus est & in ipsum dominū, scripturarum autorem. Ad hæc adiuuant per occasionem aduersarium morbi molestia , mortis pauor, horror gehennæ, & naturalis mentis imbecillitas animicę tristitia, quam adfert grauis ægitudo. Ad hanc igitur inclinationem occurrit hostis, omnes admoliens machinas, ut nutantem deieciat ac præcipiter

ripitet. Verum quemadmodum cum peccatis lo-  
standum non est, sed ab horum consideratione  
ad Christi gratiam auertēdus est animus, ita cum  
Satana non est disputandum, sed impia suggestio-  
ni dicendum, abi retro Satanam, mihi phas non est  
dubitare de iis quæ spiritu sancto docta tradidit  
ecclesia, & satis est tenere fide quod, ingenio noto  
assequor. Narrant quiddam non quidem è sacris  
voluminibus, sed tamen ad id quod nunc agimus  
satis accommodū, de duobus quos imminentे mor-  
te de fide tentauit Diabolus: alter philosophiæ pe-  
titus erat, alter nihil aliud ḥ̄ Christianus, rudis  
& anormis. Priori suggesſit quid crederet, an Chri-  
stum deum & hominem, an natum de uirgine, an  
resurrectionem mortuorū. Cœpit ḥ̄ philosophiæ  
rationibus demonstrare, non posse coniungi in u-  
num ea inter quæ nulla esset affinitas, uelut inter  
finitum & infinitum, creatum & increatum. Dein  
de præter naturæ rationem esse, ut uirgo pariat et  
tra uiri cōgressum, nec iuxta philosophorum prin-  
cipem Aristotelem, esse redditū à priuatione ad ha-  
bitum. Quid multis uacillauit homo, & præcipita-  
tus est, hostis uictor abiit. Alter ille rudis percon-  
tanti quid de hoc & illo crederet, respondit com-  
pēdio, quod credit ecclesia. Rursum obīciēti quid  
crederet ecclesia, quod ego, inq. Quid tu? Quod  
i 3 credit

credit ecclesia. Quid ecclesia? Quod ego. Ab hoc  
 imparato ad disputandum, sed simplici fide stabili-  
 li, tentator uictus discessit. Hoc responsum satis est  
 ad abigendum insidiosum hostem. Maxime tamen  
 ualeat in obscuris ac dubijs. Veluti si suggerat ho-  
 stis, aut homo intempestiuus, quomodo in tribus  
 personis sit eadem numero essentia, quibus modis  
 inter se distinguatur: respondeat, sicut credit eccle-  
 sia. Quomodo idem corpus possit esse diuersis in  
 locis eodem tempore, & quomodo in Eucharistia  
 ueru hominis corpus possit in minimo spatio con-  
 tineri: Respondeat, sicut credit ecclesia. Rursus qua-  
 lis sit ignis apud inferos, & quomodo res corpo-  
 rea agat in substantia incorpoream: Respondeat,  
 sicut credit ecclesia. Aut si quid respondendu est,  
 paucis respondeat, aut ex Symbolo Apostolorum,  
 quod aegroto quotidie dictandum erit, aut ex lite-  
 ris diuinis, aut ex spiritu fidei. Si Satanus ingerat  
 criminum magnitudinem, conuersus ad deum dis-  
 eat: Auerte faciem a peccatis meis, & respice in fa-  
 ciem Christi tui Iesu. Sclera tua superant haren-  
 tam que est in littore matis. Copiosior est domi-  
 ni misericordia. Qui speras iustitiae præmium tor-  
 tus iniustus. Iustitia mea Christus est. Tu scelerib.  
 opertus cu Petro & Paulo migrabis in requiem:  
Luc.23 Non, sed cum latrone, qui audiuit in cruce, Hodie  
 tecum

in ecum eris in paradiſo. Vnde iſta fiducia, qui nis  
 hil boni feceris? Quia bonum habeo dominum,  
 exorabilem iudicem, & gratiosum aduocatum. De-  
 traheris in Tartara. Caput meum in caelo eſt. Da-  
 mnaaberis: Tu calumniator es non iudex, damna-  
 tis non damnator. Multæ dæmonū legiones ex-  
 pectant animam tuam. Desperarem ni protector  
 rem haberem, qui deuicit uestram tyrannidem. In-  
 iustus eſt deus, ſi pro malefactis dat uitam æter-  
 nam. Iustus eſt qui ſeruat promissa, & ego ab illius  
 iuſtitia iamdudū appellaui ad eiusdem misericor-  
 diam. Inani ſpe tibi blandiris. Non potest mentiri  
 veritas, promiſſis fallere tuum eſt. Quid relinquas  
 uides, quid habitatus ſis non uides. Quæ uiden-  
 tur temporaria ſunt, quæ non uidentur æternas;  
 plusq; uidet, qui firmiter credit. Migras hinc onu-  
 stus malefactis, nudus bonis operibus. Rogabo  
 dominum ut me meis malis exoneret, ſuis bonis  
 conueſtiat. At deus peccatores non audit. Sed au-  
 dit poenitentes, & ille pro peccatoribus mortuus  
 eſt. Sera eſt tua poenitentia. Non fuit sera latroni.  
 Latronis erat firma fides, tua uacillat. Orabo do-  
 minum ut augeat fidem meam. Falso tibi perſua-  
 des, te misericordem habere dominum, qui te toſ  
 malis excruciat. Medet ut clemens medicus. Quir  
 uoluit mortem eſſe tam acerbam? Dominus eſt,  
     non potes

non potest uelle nisi quod bonum est. Quur ser-  
uus male frigi recusem perpeti qđ dominus glo-  
riæ perpessus est? Misericordia est mori. Beati qui in  
domino moriuntur. Sed mors peccatorum pessi-  
ma. Peccator esse desijt, qui se cum spe misericor-  
diaz peccatorē agnoscit. Relinquis hunc mundum  
A tristi exilio migro in patriam. Tantum bono-  
rum hic relinquis. Sed longe plus malorum. Relin-  
quias opes tuas. Alienæ sunt quæ relinquio, mea me  
cum effero. Quid effers, quum in te nihil sit boni.  
Hoc uere meū est, quod mihi gratis donat domi-  
nus. Deseris uxorem ac liberos. Domini sunt, ei il-  
los commendo. Durum est distrahi à charissimis.  
Breui me sequentur. A iucundis amicis diuelleris.  
Prōpero ad iucundiores. Quoniam autem uersu-  
tissimus hostis quos ad desperationem pertrahe-  
re nō potest, sollicitat ad sui fiduciam, ut quos non  
ualet in præcipitium detrudere, in altum elatos eli-  
dat, aduersus hoc quoq; non leue discrimen mu-  
tiendus est ægrorus. Quemadmodum autem ad  
uersus desperationis charybdim tutum est, si quo  
magis Satanas deprimit hominem cōscientia scer-  
lerum, hoc se magis erigat fiducia diuinæ miseri-  
cordiæ ac societatis cum Christo mysticæ: ita ad-  
uersus arrogatiæ scyllam præsens erit remedium,  
si semet consideratione propriæ imbecillitatis abi-  
ciat

clat. Quisquis enim in Christo fortis & excelsus  
 est, in seipso humilis & abiectus, nec deicci potest à  
 Satana, nec allidi. Tale quiddam in veterum mo-  
 numentis legimus de diuo Antonio monacho,  
 quem mille modis oppugnauit Satanus, nec unctus  
 potuit expugnare. Quodam autem tempore quum  
 frustra admotis omnibus technis nihil profecisset,  
 se uinci fassus est his uerbis, In cassum nitor: si ego  
 te deicco, tu teipsū attollis: si te attollo, tu te ipsum  
 deprimis. Ad hanc imaginem si Satanus sugesse-  
 rit, Dignus es qui inter Seraphicos sedeas: respon-  
 deat ægrotus, Nulla est mea dignitas, nisi quod  
 indignitatē meam agnosco. Multum orasti, mul-  
 tum ieunasti, uitam austera m duxisti, plurimum  
 in egenos erogasti. Quæ narras omnia mihi cum  
 damnatis phariseis sunt communia. Si quicquam  
 ex me boni operis prosectorum est, domini est, non  
 meum. At purus es ab ijs uitjjs quibus ille & ille la-  
 borat. Est igitur unde domino gratias agam non  
 est unde mihi placeam. Nam nisi me domini mis-  
 ericordia protexisset, & si similis irruisset tentatio,  
 patrassem eadem, aut etiam sceleratoria. Huiusmo-  
 di responsiunculis muniendus est ægrotus, brevi-  
 bus & expeditis aduersus Satanæ prauas sugge-  
 stiones. Exempla sanctorum reuocanda sunt illi in  
 memoriam, sed in quibus reluxit insignis domini  
 k misericordia

misericordia: uelut in Dauide, qui adulterium curmulauit homicidio, ac duobus uerbis effugit uindictam: in Niniuitis, in Achab, in filio prodigo, in Publicano, cuius iusticiam dominus præfert Pharisæi & sanctimoniarum, in muliere peccatrice, quæ audiuit à domino, remissa sunt tibi peccata tua. In muliere adultera, quæ audiuit, uade & amplius non li peccare: in Petro, qui ter abnegauit dominum, in Paulo, qui persequutus est ecclesiam dei, uinciens & occidens qui profitebantur nomen domini Iesu. In Cypriano, qui ex mago factus est martyr, alijsq; multis, qui ex idololatria, ex blasphemia, ex horrendis criminibus, per fidem in Christum misericordiam & coronam assequuti sunt. Ad excludendam desperationem, & erigendam spem, aptiores sunt literæ noui testamenti quam ueteris. Nec mirum, Moses Iudæos terrebat præceptis. Christus uniuersos cōsolatus est per fidem & gratiam. Habent autem sacra uolumina nō exemplarū, sed & dicta quamplurima, partim quæ terrorē incutiant, partim quæ territos consolentur. Per hæc enim ferè uoluitur omnis prophetarum sermo, dei uindictā exaggerans auersis à deo, ac rursus dei misericordiam amplificans ad poenitentiam conuersis. Vtruncq; pharmacum salutiferum est, si scite & ip loco adhibeatur. Quæ territant ad  
mouenda

“ **mōstrena** sunt corpore sanis, sed animo laborantibus, ferocibus & huius uitæ prosperitate temulentis, aut mundi delicijs quasi mandragoræ indumentibus, quo uelut elleboro ingestο resipiscant, aut brassica sumpta redeant ad sobrietatem, aut uehementius inclamat uellicatiꝝ expurgiscantur. Quæ ueniæ spem faciunt, adhibenda trepidis ac meticolosis, præsertim in mortis discrimine. Quanquam nec illis sic ingerendus est terror, ut pharmaco non admisceatur ueniæ spes, nec his ita sunt adhibenda lenimenta ut fallantur. Siquidē aliud est corrigere, aliud deſcere: rursus aliud cōsolari, aliud adulari. Proinde non parui refert, qui ægrotantibus affideant. H̄os oportet ad manum habere uaria scripturarum loca, quibus ægrotum nutantem fulciant, uel recitandis, uel enarrandis. Ad idem uerbunt precatiunculæ apte compositæ. Feruntur enim quædam ab indoctis compositæ, & ab indoctis ingeruntur ægrotantibus. Sic excitata spe, superest purgatoriū terror, quem & ipsum quidam remedij, mea sentētia, parum solidis lenire & extimere conantur. Quidam emptiūs diplomatibus promittunt securitatem ab igni purgatorio, sed uero ne hoc sit non subleuare ægrotum, sed os sublinere morituro. Rectius faciunt, qui missis ac presib⁹ piorum hominum, nec nō eleemosynis sua-

k z dent

dent minuendos esse purgatorij cruciatus. Sed omniū efficacissimum est , si moneatur ægrotus, ut quantum potest excitet fidem & charitatem erga deum & proximum, ex animo condonet omnibus à quibus Iesus est, ac morbi cruciatus , mortemq; imminentem amore Christi patiēter ferat, totum se per omnia submittens uoluntati diuinæ, reputans deum non iudicare bis in ipsum, & Christum pro nostris delictis in cruce dependisse peccatas. Ex his fontibus ac potissimum ex illius sanguine petat ignis purgatorij refrigerationem. Atq; ita sibi diffusus, fretus immensa dei misericordia, Christi meritis, ac sanctorum omnium suffragijs, contrito corde, cū religiosa fiducia dicat, IN MANVS TVAS DOMINE COMMENDO SPIRITVM MEVVM. Nulla inuidia est, si peccator & infirmus usurpet uerba domini sui, Nam ideo caput nostrum hæc expressit in sese, ut nos imitaremur qui sumus illius membra . Quod si cui placet & ab alijs sanctis

A&7 exemplum petere, dicat cum beato Stephano, domine Iesu accipe spiritū meum. Exempla magnam habent uim ad comouendos animos. Ostendunt enim uelut in speculo quid deceat, quid secus: quæ admodum & in rebus externis tachementius uisus quam auditis permouemur: proinde non mediocrem habet utilitatē, frequenter mortaliibus adesse, ut quod

ut quod in illis detestandum conspexerimus, uitemus: quod pium ac sanctum, imitemur. In illo si quidem articulo apparet qualis sit cuiuscumque fides; qualis conscientia. Sed nullum inuenietur exemplum perfectius, quam quod dominus noster in seipso nobis expressit. Quoniam enim instaret illa nox extrema, aduersus imminentem temptationis procera lam communij suos sacrosancti corporis & sanguinis sui commeatu, nos admonens, ut quoties incidimus in casum aut morbum qui mortem minaretur, protinus exomologesi purgемus affectus nostros, quemadmodum dominus lauit pedes discipulis suis: mox reverenter accipiamus corpus domini, qui cibus animos nostros fortes & invictos reddet, aduersus hostem spiritualē. Dominus nullum condidit testamentū, sed pro testamento fuit sermo totus igneus, quem Ioannes accuratius prosequitur, & institutio sacramēti Eucharistie in mortis ipsius memoriam. Testamentum sapiebant & illa uerba de cruce, *Mulier ecce filius tuus.* & ad discipulum, *Ecce mater tua.* De externis igitur paucis agendum est, de ihs quæ faciūt ad fidem & charitatem multis. Solent enim uerba morientū auidius excipi, & altius insidere metibus audientium: partim quod nemo creditur fingere in eo quidem articulo: partim quod mens dum incipit diuelli à k 3 corpore

Iob. 19

corpore quo grauatur , s̄epe specimen ædit illius libertatis & cognitiōis ad quam proficiscitur . Sed redeamus ad redemptoris exemplum . A mystica cœna secedit ab ædibus in hortū , ac iussis eo loco subsidere reliquis discipulis , tres tantū sibi adiungit , Petrum , Ioannem & Iacobū Zebedæi , ut eosdem haberet testes humanæ infirmitatis , quos in monte gloriæ suæ testes esse uoluerat . His confessus est extremam animi tristitiam , quæ s̄epe morte ipsa , grauior est : quibus uigilare & orare iussis , rursus secessit ad orandum . In corporali secessu domini magnum est mysteriū . Qui se morti præparat , ab omnibus urbanis ac domesticis affectibus secedat oportet , reip. curam abiūciat , posseſſionum solitudinem penitus exuat , uxorem ac liberos domino commendet , ab amicorum & cognitorum fiducia sese subducat , ne intimos quidem in animi curas recipiat , solus sub dio sit oportet , qui tū uelit loqui cū patre coelesti , quū urget extrema tētatio . Ter admonet dormientes ut uigilent orēt̄cne intrent in tentationē . Intrat in tentationē , qui se tradit in potestatem tentatoris . Vigilantes aut̄ & orantes perstringit quidem tentatio , sed mox præterit . Quod tribus discipulis dixit dominus , nobis omnibus dixit . Dormierunt illi , & ideo succubuerunt tentationi . Petrus omnium fortissimus abne-  
gauit

gauit dominum, cæteri metu diffugerunt, magis etiam abiuraturi, si similis terror fuisset obiectus. Itidem in mortis discriminis vincitur infirmitas humana, nisi instanter, nisi puro affectu, nisi cum invicta fiducia implorauerit auxilium illius, qui solus uiuificat mortuos. Porro quo pacto sit orandum in eo tecum statu, exemplo suo redemptor monstrare dignatus est. Flexit genua, parum hoc est, prostravit se in faciem. De terra clamauit ad patrem, tam ualide, ut uox deprecantis à discipulis tribus, qui ad lapidis iactum aberant, alioqui & somno grauatis exaudiret. Bis ad deprecationem rediit, ter eadem uerba repetivit. Nō sicut ego uolo, sed sicut tu. Flectit genua, qui se totum subiicit uoluntati diuinæ: procumbit in faciem, qui sibi totus displicet, totus suis diffidit viribus ac benefactis, nec aliunde sperat solatium quam à misericordia domini. Nec statim desperandum, si differtur consolatio: iterum atq[ue] iterum redeundum est ad clamorem, nō oris sed cordis. Etenim si nos quod dominus externe fecit, spiritualiter imitemur, aderit bonus angelus, qui sudorem sanguineum abstergerus est ab animo nostro: & aut eripiet à discriminatione, aut robur addet spiritui, ut morte fortiter perferamus. Postremo cū domino nudi crucē ascendamus oportet procul ab omnibus terrenis affectibus.

Etib[us] ad coelestis uitæ amorē erecti, ut cum beato  
Paulo dicere possimus, mihi mūdus crucifixus  
est, & ego mundo: atq[ue] ibi tribus affixi clavis, fide,  
charitate & spe constanter perseueremus, strenue  
depugnantes cum Satana, donec eo deuicto in æ  
ternam requiem demigremus, præsidio gratiaç  
domini nostri Iesu Christi, cui cum patre  
& spiritu sancto laus & gloria  
in omne ætum.

Amen.

EPISTOLAE ALIQUOT  
DE REBUS COGNITIS DIGNIS, QVARVM  
nulla fuit antehac excusa typis.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS D. IO.  
anni Vergairæ insigni Theologo. S. D.



ORTASSE uisus sum uobis  
paulo impotentius ferre mor-  
tem Guilhelmi Vuarami Ar-  
chiepiscopi Cantuaricensis, qui  
literis tam plorabundis ac la-  
mentatricibus animi mei dolo-  
rem in sinu tuum effuderim. Idem opinor uisum  
Archiepiscopo patrono tuo, Nam simile ferè re-  
sponsum accepi à R.D. Bernardo episcopo & Car-  
dinali Tridentino, & à Christophoro episcopo  
Augustensi. Soleo quidem uti scribitis, in simili ca-  
su aliorum mederi luctui, sed ipsa re sum expertus  
esse uerissimum illud Comœdiae, Tu si hic sis ali-  
ter sentias. Et tamen ne quod res est dissimulem,  
ipse mihi non nihil in tanta tamcū diutina animi æ-  
grimonie displicui, eademcū tum mihi dixi, quæ  
alij eram dicturus. Mortalis erat, ad extremā pe-  
nē senectutem peruenit, summa cum dignitate ui-  
xit, pietatem insigniter coluit, honestā sui memo-

I. tiām

riam reliquit, ex hoc infelici exilio migravit ad æternam trāquillitatem, ibi te expectat, mox sequiturum. Si uere diligis uitum, est quod illi gratuleris, non est quod deplores. Hæc aliaç permulta colloquebar cū animo meo, sed ad omnia surdo. Neq; uero hic locuserat illi Satyrico, Ploratur lacrymis amissa pecunia ueris. Si æstimetur quod ille obtulit benignitas, maximum erat, si quod accepit, minimum erat emolumenti. Sed in illius amicitia sic conquiescebam, ut mihi uiderer abunde diues, qui tales haberet patronū, unde petere quiduis possem si qua incidisset necessitas. Ea non incidit, nec facile potest incidere frugaliter uiuēti, atq; ih̄s rebus contento, quas postularat corporis necessitas. Conduplicauit hūc luētū meū mors Christus phori Schidlouicj, hominis apud Polonos summae autoritatis, ac nostri amantissimi. Sed dominus pro sua Clementia multis solatijs mitigauit hæc uulnera, fecitç eum tentatione prouentum, ut possim sustinere. Siquidē in Archiepiscopi de mortui locum ac dignitatem succedit R. D. Thomas Cronmarus Archi episcopus Cantuar. Thomas Cronmarus, professione Theologus, uir integerissimus candidissimusq; moribus, qui ultro pollicitus est sese in studio ac beneficētia erga me, priori nequaquam cessurum, & quod spōte pollicitus est, sponte prestare cœpit, ut mihi Vuaramus non ereptus.

Christophorus  
rus à Schidlo-  
witz

Thomas Cron-  
marus Archi-  
episcopus  
Cantuar.

ereptus sed ita Cronmaro renatus uideri queat. De  
 dit & Vindelicorum Augusta candidos aliquot  
 amicos, eosq; ultroneos. Quorum ut tempore ita  
 beneuolentia primus est R. D. Christophorus à  
 Stadio episcopus Augustanus, uir ut maiorum  
 imaginibus illustris, ita prudentia, consilio, pietas  
 amore, ac munificentia uix ulli in hisce regioni  
 bus secundus. Huic accessit uir animi decoribus  
 quām imaginibus clarior, ac uirtutibus quām opib;  
 bus dītor Antonius Fuggerus. Cui adhæret niuci  
 pectoris amicus Ioānes Cholerus Prepositus Cu  
 riensis. At uir antiquae nobilitatis, moribus aureis  
 Ioānes Paungartnerus à Paungarten & Ernbach,  
 ut tempore postremus est, ita nemini cedit parata  
 munificentia non in unū alterum ué, sed erga om  
 nes qui doctrinæ ac pietatis elogio commendan  
 tur. Hunc uir clarissimus Vlrichus Zasius, huius  
 seculi ornamentū, multis iā annis possider: nunc ut  
 est candidissimi pectoris hoc nomine sibi gratula  
 tur, quod eum mecum habet communem. Fugge  
 ti nomen arbitror Hispanijs esse notū ac celebre,  
 Ioannis à Paungarten an uobis auditū sit nescio.  
 Itaq; paucis hominem tibi depingam, quo sicut  
 pridem meo dolore doluisti, ita nunc meo gaude  
 as gaudio, & quemadmodum ibi consolando de  
 clarasti tuam in me beneuolentiam, ita hic gratula  
 12 tione

Christopho-  
rus à Stadio  
epūs August.

tione declares inter ueros amicos tristia simus ac læta esse communia. Ergo quod Ioannes à Paungarten amplissime diues est cum alijs aliquot habet commune, sed illud cum paucis habet commune, quod opes suas possidet, nō ab eis possidetur, quodcū illi seruit pecunia, non ipse pecuniæ. Possidet autem ista fortunæ quæ uocatur munera, non tantum heriliter, uerum etiam philosophice, persuasum habens hæc non esse propria hominis bona, quæ promiscue probis & improbis cōtingunt, nec tam egregiū existimat diuitias habere, quam contemnere. Contemnit autem, qui iuxta sapientis consilium illis affluentibus nō adiicit animum, qui nec lucro tali fit obesus, nec iactura macilētus: quippe perpendens hæc quoq; à cœlesti principe dari, non ut amentur, sed ut recte prudenterq; disp̄sentur. Dominus hortatur ut diuites de iniquo Mammona sibi parent amicos à quibus recipiantur in æterna tabernacula. Maius est, quod præstat Paungartnerus, qui de iuste partis mira benignitate reficit egenorum uiscera, bene feceratum existimans, quod Christi membris fuerit impensus. Iuxta Stoicos nulla felicitatis pars est habere diuitias, sed sic habere meo quidē iudicio magna felicitatis pars est. Sic deo charus fuit ille prædictus Abrahā hospitalitatis & magister & exemplum.

Accedit

Accedit huc generis peruetusta nobilitas. Extant enim instrumenta testantia familiam illam inter claras habitā ante multa secula. Origo gentis fuit ē Franconia Orientali uetustissima nobilium uiorum parente, unde qui nunc apud Gallos Franci dicuntur profecti sunt. Ibi sedem olim habuerunt maiores huius. Est etiamnum in ea regione monasterium, horum benignitate tum ornatum magnifice, tum amplissimis dotatum censibus. Verum ne nimis antiqua persequar, pater huius de quo nunc agimus, ob eximias animi uirtutes, integratem in moribus, prudentiam in consilijs, fidem ac dexteritatem in negotijs, pietatem erga patriam, in summa tum gratia, tum autoritate fuit, apud superemos orbis monarchas, Matthiam Vngariæ regem excussi iudicij uirum, Federicū Imperatorem, quem nominasse satis est laudasse, & huius filium Maximilianum. Quibus omnibus saepenumero belli domicj fidelē ac preclaratn nauauit operam. Non ultima laus est principib. placuisse uiris, praeferunt laudatis, & ob laudanda. Nec minus interim gratiosus apud proceres ac populum, ob munum amabilem comitatem, ac promptam perpetuamq; de omnibus benemerendi uoluntatem. Cæterum ut sunt humanarum rerum aestuariae uices, huius familie clarissimæ facultates per se quidem

I 3 amplissime

amplissimæ, sub maioribus uehementer decreuerant, partim bellorum inundationibus, partim fikibus multis summa cum dote splendide elocatis, quæ magnam opum partem secum in familias alienas attraxerat. Quanq; aut ueræ nobilitatis minima portio est opulétia, tamen hoc quicquid est decoris, Ioannes à Paungarten non passus est suo decedere generi: sed iacturā sub progenitorib. acceptā singulari prudétia, uigilātiaq; ita sarsit, ita lacunas oēs expleuit, ut nullū usq; restet facultatum attritā uestigiu. Ne in principū quidē amicitijs parente fuit aut est inferior, apud quos obvārā ingenij dexteritatē ac singularē prudentiā, summa in gratia summoq; in precio & fuit hactenus & est hodie, nobilibus ac popularib. tā charus ob expositam in oēs præsertim egenos liberalitatē, ut optimo iure patriæ deliciū possit appellari. In expeditione Turcarū à Carolo Cæsare accitus, illi & facultatibus largiter, & cōfilijs fideliter, & opera fortiter adfuit, omniū periculorū socius, paratus & uitā patrīq; ac Cesarī impēdere, quū ante id téporis in hoc ipsum bellū suis impēdijs Cesarī misisset **xxxii** cataphractos pulcre instructos, non numerum hercle, sed uiros è multis selectos, quorum pleriq; poterant egregios belli duces præstare. Potrò fidem studium & operam quam præstítit Carolo Cæsari

Cæsari , eandē nunc præstat huius germano Fer-  
dinando , cui & ipsi ob raras animi dotes cum pri-  
mis charus est. H abes hominis pietatē in patriam  
& in principem . Nunc audi qua pietate foueat li-  
beros suos. Quatuor habet filios , filias totidem , o-  
mnes felici indole. Dices forsitan , felicitatē homi-  
nis mihi narras , non pietatem . Sed mane , mox au-  
dies eximiam . Tanta solicitudine , tanta sanctimo-  
nia prudentiaq; curat omnes educandos , ut non  
corporum modo uerum etiam animorum parens  
optimo iure dici possit. Nullum omnium destina-  
uit negotiatiōi , aut alijs sordidioribus artibus . Ad  
eruditionem , ad pietatem , ad gerenda principum  
ac reip . Splendida munia instituit omnes : ad quae  
frequenter euadunt parum appositi , qui libris ac  
disciplinis insenuerint : nam umbris assueti , nescio  
quo pacto stupescūt , ac ueluti glaucomate oculis  
oborto mentis uertiginem quandam patiuntur  
quoties in puluerē ac sole m , hoc est , ad ciuilia mu-  
nia asciscuntur. Tenera ætas domi formatur ad o-  
mnem probitatē atq; innocentiam . Adhibentur  
præceptores , nō de triuio , sed exploratis moribus  
ac literatura non uulgari. Adolescentia prima sta-  
tim ab ædibus paternis ablegatur in Italiā aut  
in Galliam : quo simul & linguis & moribus alie-  
nis assuescant. Hæc est ingeniorū uelut insitio , qua  
mitescunt

mitescunt ac naturam exuunt sylvestrem, si quato-  
habet. Nihil em̄ ferè morosius ijs, q̄ in patria con-  
senuerunt, oderunt exterorū, ac damnant quicquid  
à uernaculis ritibus diuersum est. Quibusdam per-  
mittit, ut principum aulas degustent sed electas.  
Necq; enim parum interest inter aulam & aulam:  
tametsi in omnibus aulis ut est uaria rerum expe-  
rientialia, ita nō desunt illeccbræ, quæ iuuētutem ad  
dulcia quam ad salubria proniorem corruptant.  
Verum ab his periculis nullū uitæ genus liberum  
est, etiā si te abdas in Cartusiā. Aduersus has Sire-  
nes nō locus nos tutos reddit, sed pro aurib; ani-  
mus diligenter obturatus, nō cera quēadmodū fe-  
cit Vlysses Homericus, sed philosophiæ p̄ceptis.  
Itaq; natu maximus Ioannes parentem nomine  
& cognomine refetens nec minus indeole, primum  
in Gallia deinde in Italia literis haudquaç; infeli-  
citer institutus, nūc agit in aula D. Mariæ, quodā  
Vngariæ Reginæ, qua fœminā nihil habet hæc  
ætas sanctius ac prudentius. Huic proximus Geor-  
gius Iurisprudetiæ destinatus est, qui iā & in bonis  
literis, & in legum sapientia supra modum ætatis  
promouit. Tertius Antonius agit Venetiæ, uelut  
in theatro totius Italiae splendidissimo, uarijs lin-  
guis expeditus & omni morum elegantia perpoli-  
tus ad unguem. Daniel natu minimus, adhuc do-

mi fin

mi singitur ad innocentiam, mox dicandus instituto, ad quod videbitur natura compositus. Nimirum intelligit vir ingenij perspicacissimi, ad hominis felicitatem plurimum referre, ut in teneris annis ad hoc quisque institutum applicetur, ad quod videatur natura compositus. An non istuc demum est uere patrem esse? Quur enim patres appellantur, qui nihil aliud gignunt quam corpora, ac mox natorum curam omnem abhiciunt, aut si quid curant, praeter corpora nihil curant, animi quae praecipua pars hominis est, nulla ratio. Sed his quoque deroiores sunt, qui pueros ad honestum uitae institutum ut a natura factos ita & animo propensos, ad illiberalia studia retrahunt. Hoc profecto non est educare liberos, sed exponere. Ac mea quidem sententia sceleratus est ingenium exponere uitris, quam corpus incertis casibus. Sit aliqua felicitatis pars, ex opulentis nasci, e claris & illustribus progigni, summa tamen ac proinde rara felicitas est ex tali parente nasci qualem se prestat suis Ioannes Paungartnerus. Quid ego nunc memorem, quam pia quam uigilanti sollicitudine filias educet, qua comitate regat uxorem, qua pietate foveat optimae matris senectutem. Dicas hominem virtuti natum, qui nusquam cessat in officio. Quid hoc viro felicius, si qua omnino in hac uita felicitas. Con-

tas. Contigit antiqua maiorum nobilitas, contigerunt opes imaginibus dignæ. Contigit uxor ex animi sententia, claris & ipsa maioribus: cōtigerunt liberi à parētis optimis moribus haudquaquā de generantes. Ipse corpore felici, aetate integra uiuenti, sed animo cano, tot egregijs dotibus prædicto, ut in ratione beatitudinis, extremum calculum occupent, opes ac generis claritudo. Arces duas possidet, alteram cognomēto Paungarten, quam superiorum incuria neglectam magnifice reficit, exornat cōstructuris. Altera cognomēto Ernbach hactenus corrupte uulgo dicta Erbach, sita est ad Danubiū paulo supra Vlmā, loco amoenissimo, ditione satis ampla, cui oppidū subiacet eiusdem nominis. Felix ille populūs tali domino euitus a spicījs omnia redduntur floridiora. Tanta hominis est in negocījs dexteritas, ut hunc uel unum dicat esse qui ex parua ciuitate magnam, ex obscura possit illustrem reddere. Abundat Germania magnis & excellentibus uiris, sed utinam quamplurimos haberet Paungartnero pares. Adde his, quā eximia uirtus ac magna felicitas semper obnoxia soleat esse inuidiæ, Paungartneri successib⁹ applaudunt omnes, inuidet nemo. Tanta est ingenij suauitas, tatus animi candor, tanta erga omnes homines morum comitas, ac ut Græce dicā signifcantius

**E**cclatius, **Xenostus.** Quantum bonorum in hoc uno viro possidet haec natio, qui Cæsaribus in negotijs ciuilibus præstat fidelē iuxta ac prudentem consiliariū, in rebus bellicis fortē ac promptum ducem, idq; ἀσθενεύη, patriæ ciuem pacificum ac salutarem, domui suæ commodum ac uigilantem curatorem, probitatis ac literarū amatoribus benignum Mœcenatem, amicis iucundum conuictorem, egenis liberalem nutricium, aut parentem uerius. Felix Germania tali heroë. Felix ego tali amico, qui cum mihi sunt omnia communia. Hoc ius non extat quidem in Cæsarum legib; sed ita Gratiarū tabulis descriptum est, quo meum esse duce, quicquid est in bonis Paungartnericis. Non quod illius fortunas uelim imminuere, quod nec animus hic postulat, nec res familiaris exigit: sed ob hoc ipsum uiuo tranquillus, quod existimem in meo esse mundo quicquid possidet syncerus amicus. Proin nunquam uidebor mihi inops aut destitutus, quandiu tales supersunt amici, nō ita multi quidem illi, sed eximi, ut horū quilibet esse possit πλάνη ἀντάξιος. Syncero amico nulla possessio preciosior, In hac soleo præcipue consolere, meq; ipsum aduersus τὸν βασιλέα χωρὶς κομιστῶν consolari: sed quoniam in hoc seculo nihil est proprium aut perpetuum, consultum est iuxta

m 2 Beati

Beati Pauli consilium hanc quoq; possessionem  
sic habere quasi non habeamus. Volubiles sunt ar-  
tini mortaliū, & ut tale nihil accidat, à morte ne-  
mo tutus est. Sed absit omen sinistrum. Commu-  
ni patrono Archiepiscopo Toletano fac me com-  
mēdes, quoties inciderit oportunitas. Complures  
sunt anni, qd me dignatus est in amicorū numerū  
ascibere, & tamen ut oēs uno ore prædicant, totū  
adhuc in bencuolentia recens est. Bene Vale. Da-  
tum apud Friburgum Brisgoiæ. xiii. Calen. De-  
cemb. m. d. xxxiiii. Scripsi ante paucos dies per  
Cæsaris oratorem commendatorem quendam,  
uirum ut appareat candidum nostriq; studiosum,  
qui multa mihi prædicabat auditu iucun-  
da de Toletani præsulis erga  
me perpetuo fauore.

R. D. Ioanni Fabro episcopo Viennensi  
Erasmus Roterodamus s. D.



**A**N T A N E celeritate isthuc usq; per-  
uolasse rumorē, clariss. virum Thom-  
am Morum iure submotum à mu-  
nere cancellarij, & in huius locum stu-  
rogatum alium nobilem, qui protinus liberos di-  
miserit, quos Morus ob cōtentiosa dogmata con-  
iecerat in uincula. Homerus Ossam, Vergilius Fa-  
mam toto corpore pennis ac plumis subleuant,  
quo declarent illa nihil esse pernicius. At mihi tar-  
da lentaq; uidetur omnis alarum celeritas, si ad hu-  
ius rumoris derepente tam late diuagati uelocita-  
tem conferatur. Vix fulgur ocyus dimicat in om-  
nem mundi partem. Quanquam autem hæc fabu-  
la constanter per omnium ora uolitabat, nec ullas  
è Britānia litteras receperam (Nam Thomæ Mo-  
ri epistola, quam nūc ad te mitto, complures men-  
ses hæserat in Saxoniam) tamen sciebam certo cer-  
tius uanissimum esse quod iactabatur. Noueram  
enim humanissimi principis ingenium quāta con-  
stātia soueat amicos quos semel cōplecti instituit,  
quanq; grauate submoueat quenq; à suo fauore,  
etiam si qd erroris humani in illis deprehēderit. Rur-  
sus nouerā Thomę Mori synceritatē atq; in rebus  
maximis pariter ac minimis gerendis dexterita-  
m 3 tem, ac

tem, ac nusquam connuere solitam exitiæ cuiusdam prudentiæ uigilantiam. Itmò mihi benevolus regis erga Morum animus magis ex eo liquebat, quod eum munere splēdidissimo quidem illo, sed q̄oneris ac periculi pleno, liberasset, quām quod tantum honoris detulerat. Quum enim illi eas clites, mas detrectanti imponeret Rex, φιλόπατρεis erat, sibi suo ὦρ regno consulebat: quum roganti adiureret, φιλόμωρ se se declarabat. Illic pietatis ac prudentiæ laudem omnium applausu promeruit, qui prouinciam multo difficillimam ei commisserit, q̄ haud scio an sit alius in eo regno tanto oneri sustinendo magis idoneus. hic egregiā humanitatis laudē est asséquutus, qui & de suo iudicio & de publicæ utilitatis respectu nonnihil cōcesserit amici precibus, tale querentis ocium, quale à suo priuice quōdam impetravit Cassiodorus. Nec enim dubito quin Morus grauissimis adductus causis illam missionem à rege flagitarit. Alioqui nec hic unquam tam impudens erat futurus, ut tam cito rogaret exonerari, nec rex tam facilis, ut ob quaslibet causationes preces illius fuerit auditurus. Non ignorabat enim totius regni statum maxima ex parte pendere ex cancellarij integritate, doctrina ac prudentia. Necq; enim hic cācellarius dicitur, ut apud nonnullas nationes, secretarius; sed dignitas  
est regia;

est regiae proxima : eoq; prodeunt à dextris ger-  
statur sceptrum aureum, in cuius fastigio est coro-  
na aurea imperialis, ad levam liber: quorum altero  
summa sub rege potestas, altero legum prudentia  
designatur. Est enim totius Britannicæ ditionis su-  
premus iudex , ac regis consiliq; regij dexter ut  
ita dixerim oculus, ac dextra manus. Tam arduam  
functionem sapientissimus princeps nequaquam  
credidisset inexplorato. Vix altius penitus inspexe-  
rat , aut imp̄ius amabat raras ac pene diuinās il-  
lius ingenij dotes. Quin ipse Cardinalis Eboracen-  
sis, vir quæcunq; fuit hominis fortuna, non stupi-  
dus, quum perspiceret nullam superesse spem res-  
ditus ad dignitatem pristinam , asseuerauit , in ea  
Insula nullū esse tanto oneri parem præter unum  
Morum . Nec hoc erat fauoris aut benevolentiae  
suffragiū. Cardinalis dum uiueret , Moro parum  
æquus erat, eūq; metuebat uerius quam amabat.  
Nec diuersum erat populi iudiciū. Itaq; sicuti cum  
tanta totius regni gratulatione suscepit magistra-  
tum, quanta ante illum aliis nemo: ita magno sa-  
pientum ac bonorum omnium mœrore depositit.  
Depositit autem omnium pulcherrimum protes-  
ritus elogium , nemine antea munus illud gessisse  
dexterius aut maiore cum æquitate . Et scis quam  
soleat esse querulū uulgas aduersus eos qui sumi-  
tum

mutū gerūt magistrātū, p̄fser̄t primis annis:  
 etiam si harum rerū tibi facile fecero fidem si sum/  
 morū uirorum ep̄stolas proferam, Regi, regno,  
 sibi atq; etiam mihi gestienti cum alacritate de su/  
 scepto honore gratulantes, rursus eorundem lite/  
 ras deplorantes, reipub. talem esse subductum iu/  
 dicem, ac βουληφόρον, ut Homērico uerbo abutar.  
 Neq; uero dubito quin rex insignem aliquem ui/  
 rum in Mori locum substituerit, qui mihi tamen  
 prorsum ignotus est: uerum quod ad generis cla/  
 ritatem attinet, quod laudis genus Thomas Mo/  
 rus, ut est ingenio plane philosophico, nec affecta  
 uit unc̄, nec iactauit, natus est Londini, in qua ciui/  
 tate multo omniū celeberrima natū & educatū es/  
 se, apud Anglos nōnulla nobilitatis pars habetur:  
 dein ex patre neutiquam obscurō, iuris Britannici  
 doctore, cui ordini apud Anglos summa est digni/  
 tas, & ex hoc pleraq; illius insulæ nobilitas fertur  
 originem ducere. Huic ita successit filius, ut paren/  
 tem per se clarum omni genere decorum obscura/  
 tit, tametsi nemo uerius illustrat maiores suos, q;  
 qui ad hūc obscurat modum. Omitto nunc digni/  
 tatis titulos, quibus uterq; non exambito, nec em/  
 pto fauore, sed spontaneo regis iudicio decoratus  
 est. Nisi forte rebus in bello semel atq; iterū stren/  
 ue gestis arbitramur uerā parari nobilitatē: egre/  
 gij autem

ḡis autem in rem publ. meritis quæ pacatis tempo-  
ribus consilio præstantur potius, quam armis, ni-  
hil deberi honoris. Militarem industriam quo me  
hius habet reip. Status hoc minus desiderat: horum  
vero qui doctrina, qui consilio, qui iuris prudentia  
excellunt, opera semper est regibus ac regnis ne-  
cessaria bellū iuxta ac pacis temporibus. Audimus  
scripturam mysticam loquentem: Per me reges re-  
gnant. Atqui ea uox non est militiæ, sed sapientiæ,  
quæ præstat ne bellū oriatur, & si uitari nō queat,  
efficit ut quā minimo reip. malo geratur. Felicius  
autem est effugere bellum quam fortiter gerere.  
Pax autem nō potest esse diutina, aut si est, gignit  
corruptos hominum mores, nisi prudentium viro-  
rum consilijs gubernetur. Si Torquatus illustris fa-  
ctus est, quod hosti Gallo torqueum detraxit, clau-  
rus non erit, qui compluribus annis, æquum iudi-  
cem, fidelem consiliariū, præsttit patriæ: At multo  
secus uisum est priscis imperatoribus, qui assles-  
foribus suis, legum prudētia claris summos hono-  
res detulerunt. Quia & Grāmaticis, dialecticis, ac  
Iuris professoribus qui per annos uiginti specimē  
eruditio[n]is ac probitatis dedissent, eadem dignita-  
tis insignia decreuerunt quibus ornabātur uicarij.  
Viciorū autem dignitas æquabat comitum ac  
ducum dignitatē. Testatur hoc Codicis liber duos,

n decimus

decimus, titulo de professoribus. At hodie non a  
gnoscuntur pro nobilibus quibus non natiuitas  
sed princeps donat insignia. Non improbarem si  
dicant, uendit: cæterum quum principis autoritate  
bene meritis de rep. decernit honos, meo iudicio  
gemina est nobilitas, quum ad uirtutem omnis us  
ræ nobilitatis parètem accedit principis autoritas.  
Si requiritur antiquitas, magnificenter est nobili  
tatem promeruisse, quam à maioribus accepisse.  
Verum hanc laudem scio apud Morum esse leuis.  
Simi momenti, qui mauult posteris suis pietatis a  
morem, quam insigniū honorem relinquere. Por  
rò quod iactant de carceribus an uerum sit nescio.  
Illud constat, uirum natura mitissimum nulli fuisse  
molestem, qui monitus uoluerit à sectarum conta  
gio resipiscere. An isti postulant, ut summus tanti  
regni iudex nulos habeat carceres? Odit ille sedis  
tiosa dogmata, quibus nunc misere concutitur ore  
bis. Hoc ille non dissimulat, nec cupit esse clam, sic  
addictus pietati, ut si in alterutrā partem aliquan  
tulum inclinet momentum, superstitioni quam im  
pietati vicinior esse uideatur. Illud tamen eximiæ  
cuiusdam clementiæ satis magnum est argumen  
tum, quod sub illo Cancellario nullus ob impro  
bata dogmata capitis pœnā dedit, quum in utraq;  
Germania, Galliaq; tā multi sint affecti supplicio.

Ag

An non clementer odit impios, qui quum habeat ius occidendi, ita studet mederi uitjs, ut homines ipsi sint incolumes? Num illud postulant, ut regis uices gerēs aduersus regis & episcoporum sententiam faueat seditione nouitati? Fingamus illū non prorsus abhoruisse à nouis dogmatib. quod longe secus est: tamē aut munus quod suscepereat erat deponendum, aut dissimulādus ille fauor. Postremo ut omittamus hic contentionem de dogmatibus, quis nescit, quām multi leues ac seditiosi sub hac umbra parati sint ad omnium scelerum licentiam, nisi gliscenter temeritatem cohibeat magistratum seueritas? Et indignantur hoc à summo regni iudice factum in Anglia, quod in ciuitatibus quae religionem innouarunt, interdum facere cogitur senatus? Quod ni factum esset, iam dudum pseudoeuangelici, in cellas & in scrinia diuitum intrupissent, & papista fuisset quisquis haberet aliquid. At plurimorum tanta est audacia, tam effrenata malicia ut ipsi quoq; qui nouorū dogmatum sunt autores ac ppugnatores, acriter in istos strivgant calamum. Et supremum Angliæ iudicem uolebant conniuere, donec impune talis colluoxies invundaret in regnū, & opibus, & ingenijs, & religione cum primis florens. Fieri potest ut uerum sit & illud, in gratiam noui Cancellarij quosdam dīmis

• 2 SOS è car

sos è carceribus, uel innoxios, uel ob leuiora crimi-  
na uinctos, quod ad conciliandum multitudinis fa-  
uorem, in primo regum aduentu fieri solet. Idem  
opinor factum & Moro suscipiente magistratum.  
Sed quid agunt isti Triptolemi, qui tales serunt fa-  
bulas? An ut persuadeat, sectis ac sectarum fauto-  
ribus praesidium esse paratum apud Anglos? Atqui  
ex multorum haudquaquam leuium uirorum ad  
me litteris liquet, Regem aliquato minus æquum  
esse nouis dogmatibus, quam episcopos aut sacer-  
dotes. Nemo pius non optat ecclesiæ mores emet-  
atos: at nemo prudens existimat recipiendam re-  
rum omnium confusionem. Quum accepisset,  
Thomam Morum ad summam euectum digni-  
tatem, quoniam mihi uidebar ingenium illius ex-  
diutina consuetudine aliqua ex parte perspectum  
habere, scripsi me publice regi regnoꝝ gratulari,  
priuatim ipsi nequaquam. Nunc autem ex animo  
gratulor, cui cum summa principis gratia, cum to-  
tius gentis honorificissimo testimonio maturè  
cōtigerit à negotiorū ciuilium labyrinthis explic-  
ari, quod nec Scipioni Africano, nec Magno Pom-  
peio, nec M. Tullio datum est. Optauit Octavius  
Augustus imperij sarcinam deponere, non licuit.  
Nunc integra etiamnum ætate Thomas Morus  
hoc uitæ genus adeptus est cū dignitate, ad quod  
ab adeo

ad adolescentia semper fuit propensus, ut cum suis, est enim φιλόσογγος ut si quis alius, libere salubriter studijs ac pietati uacaret. Extruxit ad flumen Thamysim haud procul ab urbe Londino, praetorium nec sordidum, nec ad inuidiam usq; magnis tum, commodum tamen: illic agit cum intimo sodalitio, uxore, filio & nuru, tribus filiab. & totidem generis, una cum nepotibus iam undecim. Vedit favente Christo natos natorum, uisurus & qui nascuntur ab illis. Quoniam enim nemo sit inter illos non florente etate, probabile est numerosam sobolem prouenturam. Quin ipse quoq; possit adhuc esse multorum liberorum parés, nisi uxor iam priderat per aetatem parere defuisse, quam duxit uiduam, nec ex hac ullos sustulit liberos. Nam quos habet, ex priore suscepit, quam etiamnum puellam amavit cum aliquot liberis. Hanc tamen licet sterilem, licet aetate prouectam, non aliter amat souetq; q; si puella esset annorum quindecim. Vix alias uiuit liberorum amatior, neq; ille nescit discriminem inter anum & puellam: sed ea est ingenij commoditas, ita ut melius dicam, ea est pietas ac prudentia, ut quicquid obuenierit quod corrigi non possit, sic admet, quasi nihil felicius potuisse obtingere. Divisa apud illum esse alteram Platonis academiam: sed contumeliam facio domui illius quum eam Pla-

n 3 tonis

tonis academiæ consero, in qua disputabatur de  
numeris ac figuris geometricis, interdum de virtu  
tibus moralibus: hāc domum rectius dixeris scho  
lam ac gymnasium Christianæ religionis. Nullus  
ac nulla illic est, non uacans liberalibus disciplinis  
frugiferaçō lectiōi, tametī p̄cipua primaçō pie  
tatis cura est. Nulla illic rixa, nullū petulantius uer  
bum auditur, nemo conspicitur ociosus. Ac tātam  
familiae disciplinam uir ille nō superciliosū  
tuetur, sed comitate ac beneuolētia. In officio sunt  
œs, sed adest alacritas, nec deest sobria hilaritas.  
In templo uici extruxit sibi suisçō cōmune sepul  
crum, in quod transtulit ossa prioris uxoris, usque  
adeo illi non placet ullum diuortium. paries habet  
tabulam testem fortunæ atçō instituti illius, quam  
famulus meus ad uerbū descriptis. Exemplar cum  
his litteris accipies. Video me fuisse loquaciorem,  
sed fabulari iuuat de amico apud amicum. Quod  
assidue concionando ad populum agis uerum epi  
scopum, bonis omnibus uehementer placet. Istud  
exemplum utinā multos excitet imitatores. Quæ  
scribis de regis Ferdinādi negotijs mihi fuere gra  
tissima: ex his procemijs bonam in spēm uocor,  
fore ut optimi sanctissimicō principis uirtutibus  
aliquando fortuna respondeat. Vale.

Thomas

Thomas Morus Erasmo Roterodamo s. d.

**Q**uia rem ad hunc usq; diem à pueropè semper optauit Desideri dulcissime, ut quod tibi perpetuo contigisse gaudeo, idem aliquando gaudem contigisse mihi: nempe ut publicarum rerum negotijs liberatus aliquid olim tēporis uiuere deo duntaxat ac mihi metip̄si possem: id nunc tandem Erasme dei opt. max. benignitate ac principis indulgentissimi beneficio consequutus sum. Cæterū non ita tamen sum consequutus, ut uolui. Fuerat enim in uotis ut ultimum illum uitę colophonem, quicquid annorum fueram habiturus, infractum, vegetumq; morbo saltem & cruciatu liberū (quos ad per ætatem liceret) obtinerem. Nunc uero eius uoti, nimium fortassis improbi, compos ali quando sim futurus deo in manu est. Sed interim pectus mihi occupauit nescio quid morbi: cuius nō tam sensu & dolore crucior, quām euentus me tu, ac timore solicitor. Nam quum aliquot menses eodem tenore semper infestaret, cōsulti medici responderunt, moram longam in morbis esse periculosam, & curam huius agebant celerem esse non posse, tēpore sensim, uictu, pharmacis, quiete mendicandum: neq; finem medendi præfiniebāt, neq; salutem satis certam pollicebātur tamen. Hæc ego  
igitur

igitur mecum uersans animo, quum aut deponem  
dum mihi magistratum uiderem, aut operam me-  
am in eo gerendo claudicaturam, quando negoti-  
a quæ res poscebat obiri per me non possent, nisi  
mortem ipse obire periclitarer, qua si defungerer,  
uel sic omnino cum uita simul relinquendum fuit  
officium, decreui mecum tandem altero potius q̄  
utroq; carere. Quamobrem ut & publicis rebus  
pariter & meæ saluti consulerem, à clarissimi prin-  
cipis & optimi benignitate supplex impetraui, ut  
magistratu isto quo me ( quod tute scis ) regni to-  
cius amplissimo incredibilis eius in me fauor tam  
longe supra meritum quam supra spem ac uotum  
omne meum honorauerat, nunc sub eius pondere  
satisfacentem dignaretur eius pietas exonerare. Su-  
peros igitur uniuersos precor ut & istos indulgen-  
tissimos in me clarissimi regis affectus Deus, qui  
solus potest, digna rep̄set gratia: & mihi quicquid  
temporis reliquum daturus est, ne per iners atque  
ignavum transigatur ocium, non eam modo men-  
tem donet ut bonas horas bene collocare uelim,  
sed eam etiam corporis addat firmitatē, qua pos-  
sem. Nam (quæ mea socordia est) infirma ualetu-  
dine nihil omnino possum, Nec enim mi Erasme  
omnes sumus Erasmi, ut quod mortaliū omnium  
uni propemodum tibi propitius donauit deus, id  
nos conue

nos conueniat omnes expectare. Quis enim præter te alius id polliceri audeat quod tu preſtas? qui præter ætatis ingrauescentis incommoda, ſic affluiſtus morbis ut fatigare atq; obrucere iuuenem ualentem queant, quotannis tamen totius temporis tui rationem, tanquam nihil inde neque anni graues, neq; aduersa ualetudo ſurriperet, ædificis libris optimis orbi toti nunquam ceſtas reddeſte. Quæ reſ una quum reputantibus uniuersis miraculi uicem habeat, ad ſtuporem tamen uſq; miraculum geminat, quod nihil te deterrent à ſcriben-  
 do (qui uel herculeum pectus oppreſſuri uideren-  
 tur) tot undiq; in te ſurgētes uitilitigatores tui: qua-  
 les tibi multos indies exuſcitat incōparabilis iſtiuſ  
 ingenij tui atq; eruditionis, ingenium etiam tale ſu-  
 perātis inuidia: ad quas naturæ atq; induſtriæ tuae  
 uirtutes quum facile ſe intelligat nunquam poſſe  
 conſcendere, & ferre tamen per animi tumorem,  
 quo penè dirumpuntur, nequeat, ut infra tam longe ſubſidant, machinātur inter ſe nimitum, ac pro ſua quifcq; uiſili moluntur, ſi qua poſſint efficere  
 ut tua gloria ad ingloriā ipſorum uilitatem queat  
 affidua detrectatione deduci. Sed dum ſaxū hoc  
 Sisipheum iam tot annos uoluunt, quid aliud in-  
 terim tandem tam irritus quam improbus labor  
 effecit, quam ut ſaxum ſemper in ipſoruſ caput re-  
 o cideret

cideret, tu semper altior & sublimior euaderes.  
 Nam si quid interdū aliquos, qui neq; mali sunt,  
 nec indocti, commoueat, in quo fortasse tractan-  
 do aliter abs te temperatim stilo uoluissent, quid  
 magnat rei est: quum id non modo nulli unquam  
 scriptori nō acciderit, sed nec ipsi quidem dum no-  
 tarent tua, sic potuerint tamen temperare sibi, ut  
 non idem uitij & illustrius quām ut ex ipsorū ho-  
 nore sit, & frequētius quām pro libelli cuiuscq; mo-  
 do contigerit. Qua in re tanto difficilius ueniam-  
 merentur illi, quod ignorare non possunt, quām  
 ingenue fateris ipse quædā te tractasse sic, priusq;  
 hæreses istæ pestilētes orirentur, quæ iam passim  
 grassantes pessundant omnia, ut si diuinare potu-  
 isses tales religionis hostes, ac proditores aliquan-  
 do prodituros esse, mitius ac dilutius eadem fue-  
 ris propositurus: quæ ut tum proponeres fortius,  
 diuersa quorundam uitia, quæ pro uirtutibus am-  
 plectebantur, extimulabant. Quem animum qui  
 uclit tibi uitio uertere, is haud dubie sudabit satis,  
 priusquam satis intueniat, qua ratione possit san-  
 ctissimū quemq; ex antiquis ecclesiæ doctoribus  
 excusare: quos ego certe non dubito si nostrū hoc  
 seculum sic uidissent, ut uiderunt suum, nonnulla  
 suis quemq; temporibus fuisse & cautius & expla-  
 natius enarraturos: quod quia non fecerunt, pro-  
 preterea

pterea quod dum præsentibus medebantur malis  
futura non ueniebant in mentem, idem nimis  
illis accidit, quod isti nunc calumniantur in te: nem  
pe ut postea succrescetes hæretici quædam sese ia-  
Etent ab illorum scriptis hausisse: quæ res tibi non  
cum sanctissimis solum patribus illis, & orthodo-  
xæ fidei uetusissimis præsidibus, sed cum ipsis ei-  
tiam Apostolis & Euāgelistis est, atq; ipso etiā ser-  
uatore nostro cōmunis: ut ex quorum uerbis ma-  
xime, imò propemodum solis hæretici omnes do-  
gmata sua falsissima conantur stabilire. Macte igi-  
tur mi Erasme uirtutibus istis tuis, & tantū si quid  
interdum boni cuiusquam uiri anxiam solicitudi-  
nem, uel absq; satis grandi causa commoueat, ne  
te pīgeat tamen ad pios eorum affectus quædam  
attemperare: alioquin neglectis maleuolorum la-  
tratibus, perge placidus iuuādis studijs & promo-  
uendis uirtutibus nihil remoratus insistere. De il-  
lo quem mihi literarum gratia non etiam religio-  
nis commendaueras per quām circumspēcte sa-  
ne ac civiliter, per amicos quosdam admonitus  
sum, ut caueam ne mihi sublinatur os: id profes-  
eto quo ad fieri per me poterit, curabitur. Neq;  
enim nescio quantum sit periculi, nouas istas erro-  
rum sectas adiūtttere, quæ tametsi sedulo semper  
hactenus apud nos & præsulum cura & principis

o 2 autoritate

autoritate cohibeantur, mirum tamen quibus pri-  
mum technis irrepere, deinde quanta cum perui-  
cacia nituntur irrumpere: neq; cessant unus & alter  
è nostris, male uertendo scripturas & deterius in-  
terpretādo, omne genus hæreseos è Belgica (quo  
se uelut in portum aliquem receperunt) in hoc re-  
gnum libris nostro sermone conscriptis mittere.  
Quorum ipsis sic plerisq; respondimus, ut non ual-  
de cuiquam metuam, qui utrumq; perlegerit: nisi  
quod quidam & noua per leuitatem, & pernicio-  
sa per malitiam ita libenter & cum fauore perles-  
gunt, ut non ideo assentiāt, quia uera credant esse  
quæ legunt, sed quia cupiant. Sed isti hominum  
generi, quibus malos esse libido est, nulla unquam  
ratione satisfeceris. Mihi studio est pro mea uirili  
js præsidio esse, qui non sua sponte desciscūt à ue-  
ro, sed uersutorum hominum fallacijs abducūtur.  
Vale doctissime Erasme ac de bonis studijs optin-  
me merite. Ex ædibus nostris Chelcheicis.

Anno domini M.D. XXXII. deci-  
mo quarto mensis Junij.

Tabula affixa ad sepulchrum Thomæ Mori.



H O M A S Morus urbe Londinensi;  
familia nō celebri sed honesta natus,  
in litteris utcunque uersatus, quum  
& causas aliquot annos iuuenis egis-  
set in foro, & in urbe sua pro Shyreno ius dixisset,  
ab iniustiss. Rege Henrico octauo (cui uni regum  
omnium gloria prius inaudita contigit, ut fidei de-  
fensor, qualem & gladio se & calamo uere præ-  
stitit, merito uocaretur) adscitus in aulam est: dele-  
ctusq; in consilium, & creatus eques, proquæstor  
primum, post Cancellarius Lancastriæ, tandem  
Angliae miro principis fauore factus est. Sed inter-  
im in publico regni senatu lectus est orator popu-  
li: præterea legatus Regis nonnunquam fuit, alias  
alibi: postremo uero Cameraci comes & collega  
iunctus principi legationis Cuthberto Tunstallo,  
tum Londinensi mox Dunelmensi episcopo, quo-  
uiro uix habet orbis hodie quicquam eruditius,  
prudentius, melius. Ibi inter summos orbis Chri-  
stiani monarchas rursus refecta foedera redditâq;  
mundo diu desideratam pacem, & lætissimus ui-  
dit, & legatus interfuit,  
Quam superi pacem firmantq; perennem.  
In hoc officiorum uel honorū cursu quum ita uer-  
saretur, ut neq; princeps optimus operam eius im-

93 proba

probaret, neq; nobilibus esset iniuisus, nec iniucun-  
 dus populo, furibus autem, homicidis, hæreticisq;  
 molestus, pater eius standé Ioannes Morus eques,  
 & in eum iudicū ordinē à principe cooptatus qui  
 regius confessus uocatur, homo ciuilis, suauis, inno-  
 cens, mitis, misericors, & quus & integer, annis qui-  
 dem grauis sed corpore plusquam pro ætate uiui-  
 do, postquam eò productam sibi uitam uidit, ut fi-  
 lium uideret Angliæ Cancellarium, satis in terra  
 iam se moratum ratus libens emigravit in cœlum.  
 At filius defuncto patre, cui quam diu supererat  
 comparatus, & iuuenis uocari consueuerat, & ipse  
 quoq; sibi uidebatur, amissum iam patrem requi-  
 tens, & editos ex se liberos quatuor ac nepotes un-  
 decim respiciens, apud animum suum cœpit per-  
 senescere. Auxit hunc affectum animi subsecuta-  
 statim uelut adpetentis senij signum pectoris ua-  
 letudo deterior. Itaq; mortalium harum rerum fa-  
 tur, quam rem à puero penè semper optauerat, ut  
 ultimos aliquot uitæ suæ annos obtineret liberos,  
 quibus huius uitæ negotijs paulatim se subducens  
 futuræ posset immortalitatem meditari, eam rem  
 tandem ( si cœptis annuat Deus ) indulgentissimi  
 principis incomparabili beneficio resignatis hono-  
 rib. impetravit: atq; hoc sepulchrū sibi, quod mor-  
 tis eum nunquā cessantis adrepere quotidie com-  
 monefac

mones faceret, translatis huc prioris uxoris ossibus,  
extremum curauit. Quod ne superstes frustra si  
bi fecerit, neue ingruentem trepidus mortem hor-  
reat, sed desiderio Christi libes oppetat, morteque  
ut sibi non omnino mortem sed ianuam uitae felici-  
oris inueniat, precibus eum prius lector optime  
spirantem precor defunctumque prosequere.

## EPITAPHIVM INIBI FIXVM

Chara Thomae iacet hic Ioanna uxorcula Mori,  
Qui tumulum Alicie hunc destino, quique mihi.  
Vna mihi dedit hoc coniuncta uirentibus annis,  
Me uocet ut puer & trina puella patrem.  
Altera priuignis (quae gloria rara nouercae est)  
Tam pia quam gnatis uix fuit ulla suis.  
Altera sic tecum uixit, sic altera uiuit,  
Charior incertum est haec sit, an haec fuerit.  
Q simulo iuncti poteramus uiuere nos tres  
Quam bene, si fatum religioque sinant.  
At societ tumulus, societ nos obsecro cœlum,  
Sic mors, non potuit quod dare uita, dabit.

## EPITAPHII FINIS

Thomas Morus Erasmo Roterodamo s. d.

**B**I N A s abs te literas accepi, alteras Fri  
burgi datas VII. Februarij proximi,  
alteras hic Quirinus attulit, qui præ  
ter litteras impartiuit alia, quæ in regi  
onibus istis acta digna cognitu sunt, quæ quod  
me scire uoluisti, magnas tibi gratias ago. De re  
bus tuis omnia potes è Quirino cognoscere, qui  
mihi uidetur & probus esse & diligens. Gaudeo  
tua causa, & quoniam te amo, etiam mea, præsen  
tem Cantuariæ præsulem non minorem erga te  
amorem præ se ferre, quam præstítit olim Vuara  
mus, quo non aliis uixit tui amantior: qui si uisus  
est in fine ad dandum segnior, ipsa res indicat im  
pares facultates non imparem animum fuisse in  
causa. nam mortuus est supra quam quisquam cre  
dat pauper, nisi quod nō defuit unde dissolueren  
tur debita: neq; ita multum debuit, sed post impen  
sa iusta funeri, non admodū multū supersuit. Du  
nelmensem haud dubie ueheméter exhaustit hoc  
bellū, aut incursionses potius quæ sunt habitæ no  
bis cum Scotis: nam eius ditio Scotis est contermi  
na tam procul à nobis, ut ego tam raro ferè ab illo  
iam audiam quam abs te. Rumor hic  
erat N. hic fuisse cum Melachthoni unà seruatum  
per nescio quos diu clanculum, post furtim disces  
sisse

Tissem: sed is rumor paulatim euatiuit, & res reperta  
 est falsissima. Rex uidetur aduersus hæreticos acti  
 or & Episcopi ipsi. Tyndalus hæreticus nostras,  
 qui & nusquam & ubique exulat, scripsit huc nuper  
 Melachthonem esse apud regem Galliae: semet col-  
 locutum cum eo, qui illum uidisset exceptum Pa-  
 risijs, comitatu CL. equorum. addebat se timere  
 Tyndalus, ne si Gallia per illum reciperet uerbum  
 dei, confirmaretur in fide Eucharistiae contra Vi-  
 ceficam sectam. Quam sollicite isti tractant hoc  
 negotium, tanquam illis delegasset deus instituen-  
 dum & rudimentis fidei imbuendum orbem?  
 Quod in epistola priore scribis, dubitasse te episto-  
 lam meam ædere, quum tamen essent causæ que  
 æditam cuperes, non est mi Erasme quod dubi-  
 tes. locutulei quidam apud nos spargere coepérat,  
 me quanquam dissimularem, inuitum tamen esse  
 magistratum abdicatum. At ego quum sepulchrum  
 mihi faciendū curasse, nō dubitau rem, ut erat,  
 Epitaphio testari, ut cōtra si quis posset redargue-  
 ret. Hoc illi simul ut descriperant, quum uelut ua-  
 num non possent, ut gloriosulum incesebat. Sed  
 ego hoc malebam; quam ut alterum illud persua-  
 deri sinerem: nō mea certe causa, cui qd dicant homi-  
 nes, modo probet deus, nō multum pensi habeo:  
 sed quoniam in fidei causa libellos aliquot aduer-

.P sus

sus quosdam nostros cōtentiosorum dogmatum  
propugnatores lingua nostrate scripseram, arbī  
trabar oportere me integratē nominis mei de-  
fendere. & ne nescias quām gloriose scripserim, E-  
pitaphium meum accipies: in quo uidebis qua con-  
scientiæ fiducia nihil illis blandior, quo minus de-  
me prædicent quod libet. Expectaui iam syndici  
tempus à gesto ac deposito magistratu, nec adhuc  
quisquam prodijt qui de mea integratē querere  
tur. Aut tam innocēs fui, aut tam cautus saltem, ut  
æmulis meis necesse sit, si me altero nolint, altera  
saltē sinant gloriari. Sed de hoc negotio Rex ipse  
quū aliās, tum priuatim sæpe, tum bis publice pro-  
nunciauit. Nā supra ēp̄ meus pudor pati potest ut  
recenseam, per os ducis illustrissimi, ducis inquam  
Norfolchiæ magni thesaurarij Anglię, quum suc-  
cessor meus homo in primis egregius collocaretur  
in loco, honorifice iussit de me testatum reddere,  
quod ægre ad preces meas me dimiserit: nec eo sin-  
gularis erga me bonitas regis contenta, reuocari fe-  
cit idem denuo multo post in sua præsentia in fo-  
lenni conuentu magnatum ac populi, per os suc-  
cessoris mei, in ea oratiōe, quam ex more primaria  
habuit in senatu, quem senatū (ut scis) nos perlea-  
mentum uocamus. Igitur si tibi ita uidebitur, nihil  
est quod dubites quo minus edas epistolā. Quod  
in Epis.

in Epitaphio profiteor hæreticis me fuisse mole-  
stum, hoc ambitiose feci. Nā omnino sic illud ho-  
minum genus odi, ut illis ni resipiscant tam inui-  
sus esse velim quam cui maxime, quippe quos ita  
dies magis ac magis experior tales, ut modo ab il-  
lis uehementer metuam. Illi de quo scribis ( obser-  
quar tuo consilio) nihil omnino rescribam, quan-  
quam longam epistolam iam diu paratā habeam:  
nec ob id cōtineo, quod quicquam pensi habeam:  
quid ille aut omnes eius complices uel sentiant uel  
scribant de me, sed quod nolim onerare me neces-  
sitate rescribendi externis, quū cura propiore tan-  
gar respondendi domesticis. Tu mi Erasme felici-  
ter diu Vale, felicissime semper. è rure nostro  
Chelseico.

Erasmus Roterodamus Iusto Decio Regis  
Poloniæ Secretario s. d.



AM olim sum tibi multis obstrictus no-  
minibus, Iuste charissime, sed tu indies  
accumulandis officijs me tibi reddis  
deuinctiore: in quibus illud scito mihi  
summopere gratum esse, quod me de ijs quæ in  
Polonia publice priuatimq; geruntur tam acura-  
te facis certiore: quodq; tua cura & amicorum  
ad me, & meæ ad amicos literæ tuto perueniunt,

p 2 quum

quum simus tam uasto terrarum spacio disiuncti.  
Grauem hoc biennio amicorum iacturam passi  
sumus, præcipue Guilhelmi Vuarami Archiepi-  
scopi Cantuariensis, qui mihi unus multorum in-  
star erat. Quo uidelicet audius fruimur ihs qui  
superfunt. Adnitendum etiam ut hanc iacturam  
ueterum, accessione nouorum sarciamus. Quam  
ad rem magis idoneum ne optare quidem pote-  
ram, q̄ tu te tuapte spōte præstas. Fuit aliquo-  
ties animus admonere te quiddam, sed quoniam  
uidebatur illiberalius, hactenus uisum est dissimu-  
lare. Nunc uero quoniam indies crescit hominum  
impudentia, cogor admonere præcipuos amicos,  
ne sibi diutius patientur imponi. Scis hoc seculo  
per omnes terras uolitare πλανήτας quosdam ne  
dicam πλανύς, leberide nudiores, sed quibus ni-  
hil dulcius ocio & cibo alieno. Hanc si superis pla-  
cet appellant libertatem. Ex horum numero sunt  
qui nouum cōmenti aucipiū, uel ex scriptis meis,  
uel ex aliorum sermone perdiscunt, quos, quibus  
locis habeam amicos non frigidos. Per hos obam-  
bulant, iactantes se famulos ac discipulos Erasmi,  
atq; adeo si diuis placet, acētrimos mei nominis  
defensores, paratos pro Erasmo non tantum μονα-  
μαχέιμ, uerum etiam ἀρθρωέιμ. Affingūt de me  
qua credūt fore iucunda amicorum auribus. Eras-  
mum

wum pancratice ualere,cudere diuinās lucubratio-  
nes. Quid multis? plane triūphare. Interim suauis-  
ter accipiuntur aliquot diebus,interdum & mensis-  
bus,nec absq; uiatico dimittūtur. Quotquot enim  
huius artificij sunt,quocunq; ueniunt,ueniunt à la-  
tronibus spoliati . Sed facetius est: quod nonnulli  
questū hunc uenantur ab ijs q;s existimāt Erasmo  
male uelle. Apud quos mira narrat, alij Erasmus  
equo delapsum fregisse ceruicem , alij decumbere  
morbo inmedicabili, alij sepultum esse: ac ne quis  
dubitet,addunt locum,annum,mensem , diem &  
horam. Postremo seipso adfuisse sepulturæ,actu-  
mulum calcasse pede . Nec defuerunt qui sparge-  
rent, Erasmus unà cum Oecolampadio cæsum  
uirgis eiectū Basilea. Et his histriónibus à suo ap-  
plauditur theatro. Quumq; toties res ipsa uanita-  
tem illorum redarguerit, tamen non pudet subin-  
de similia configere. Oportet enim insigniter per-  
fricuisse frontem, qui tales agunt fabulas. At peri-  
culum est,ne per hos fiat , ut ne tum quidem cre-  
dar uita defunctus, quum reuera diem obiero su-  
premium,qui profecto longius abesse non potest,  
tum seni,tum ualetudinario, tum tot laboribus ac  
molestijs exercito. Verum horū me miseret, qui  
bus nihil aliud precor quam mentem meliorem  
dari. Ad Encomiaſtas meos redeo, quorū technæ  
dissimulari.

diffimulari poterant, nisi quidam nimis impudenter emungerent amicos, summas non mediocres à diuitibus ac principibus extorquentes, ut per illos obstrictus siā, cogarç̄ gratias agere eorū nomine, quos aut nō noui, aut tales noui, ut nulla re bona dignos existimē. Ante annos iā fermē decē Basilię iuuenis quidā in pugna deprehēsus, quia ad in clamatā pacem gladium noluerit récodere, quod ibi crimen est tantum non capitale, coniectus erat in carcerem, mihi ne de facie quidem notus. Suspirior aliquādo fuisse ex operis typographicis. Ab amīcis perpulsus sum, ut per Regis Angliae legatū qui tum forte aderat, uirum eximie candidum, impetrarem illi ueniam. Pridie orator honoris gratia nos inuiserat, quod accepisset me super occupatiōnes nō satis firma esse ualetudine. Et tamen apud me tantum ualuit quorūdam efflagitatio, ut ob nihil nūgonem prodirem ad legatum regium, ipse legatus perditī nebulonis. Vesperi conueni legatum occupatissimum, exposui rem paucis, postriū die liberatus est ille bellator. Hoc beneficium mihi magno æstimauit senatus, coactusq; sum illi pro eo gratias accurate agere. Expectas hic ut dimis̄sus ille mihi gratias egerit. Eodem die quo fuerat dimis̄sus, in ædibus typographi uino illius temulentus, lingua sic debacchatus est in Erasmus, ut nudato

nudato gladio minitaretur necem si adesset. Post  
 stridie rogatus an illa dixisset ex animo, excusauit  
 ebrietatem. efficax apologia apud hoc tribunal.  
 Hunc ut suspicor stomachum conceperat in me,  
 quod illi uiderer parum fauere Euangilio, quod  
 tum illi haud scio ubi sepultum refoderant. Haec  
 tum temporis me clā omnia. Discessit ille me insalu-  
 tato, peruenit Cōstantiam, Illic apud Botzemann  
 amicum unice cādidum, iactauit se famulū meum,  
 & à me summa cum gratia dimissum proficiſci ne-  
 scio quò. Acceptus est aliquot dierum hebdoma-  
 das humānissime, nec absque xenio dimissus. Id  
 post casu ex Botzemi narratione cognoui. Nec du-  
 bito quin similia designarit apud alios, præsertim  
 apud Melanchthonem, qui cū nouerat mihi ami-  
 citiam esse non uulgarē, satis adhuc gratioſo apud  
 magnates, qui tum Luterano fauebant instituto.  
 Alterum scio tibi notum esse, frequēter enim adiit  
 Poloniā: Isthic apud potentes ac liberales φυλεῖ  
 γαστρις prædicabat se famulum Erasmi, ab eo  
 missum ut omnes salutaret amicos, quum Basileas  
 uix mihi de facie notus esset, adeo ὡς me ueneraba-  
 tur ut nunquam obuio dignatus sit aperire caput.  
 Hac tamen arte corrasit aureos nō paucos, ut iam  
 in ocio degat μωλωτὴ ἵνα γελικῶς, mihi nihilo æ-  
 quior

quiōr, quām si à me spoliatus esset suis facultatibꝫ. Alius quidam adiūt me, nunquā antea uisum, nec uisus ipſe. Redibat Roma, repetens Brugas, ubi uiixerat. Nec dissimulabat se fuisse Frāciscanū, quum id non percontarer. Quum uiderem male cultum, rogabam unde suppeteret uiaticum. Ait ingenue, mēdicato uiuere sese. Quum uix crederē, esse tantam hominū liberalitatem, addebat sese in Germania simulasse, Erasmū esse sibi dominum. Desmiranti meum nomen tam esse gratiosum apud Germanos, respondit, omnes libenter dedisse famulo Erasmi, præter duos sacerdotes in oppido Loffenburg, qui dedere quidē, sed obmurmurantes quod Erasmi ficeret mentionem. Ibi certe sanctius illi fuit nomen Erasmi quām Francisci. Quid ipse fecerim rogas? Quid aliud? Risū simplicem hominis impudentiam, & pro honore mihi habitō, dedi nummos aliquot in uiaticum. Quidam habent orationem meditamat, quam edidicerunt, ea uerbulis aliquot immutatis utuntur apud multos. Si nō recipiuntur ad colloquiū, mittunt scriptum. Rogati unde & quò, alijs alia respondent, ut cuncti commodum est ad extorquendum aliquid. Non nulli quoniam metuunt ne à famulis submoueat, à congressu, nisi ab amicis adferant literas, meniantur se habere, sed eius esse generis, ut de manu in manum

in manum sint reddenda. Vbi data est alloquendi copia, summa orationis haec est, cupiunt saltēm cōsilio adiuuari. Ad quid ut absoluam profectiōnem meam. Quid obstat. Deest uiaticum. Quae necessitas adegit ad istam legationē. Ut uiderem doctos, & te in primis. Quo consilio putas parandum uiaticum. Si tu dederis. Expeditū consilium. At istuc est auxilium petere non consilium. Alij respondent, se querere conditionem. Quam Vis familiarī cuipiam, aut in Typographorum officinis operari. Nequaquam. Quid igitur. Cupio uacare literis. Quibus Bonis. Pudet enim fateri, se nouum dogmatum amore teneri. Sed ad studia superpetit uiaticum. Nequaquam. Quid igitur spei. Si quis suppeditet. Homines suaves. Ab ignotis atque etiam diuersæ religionis hominibus postulant, ut in ocio uiuāt suo arbitratu suoq[ue] commodo. Haec scio tibi uideri ridicula, nugasq[ue], sed haec nuge seriatudunt. Si magistratus perpenderent quam non expediāt teip. iuuenes ocio assūescere, ac mundum paulatim impleri curiosis & ignauis erronibus, mature studerent occurrere periculo. Iam eadem discunt pueri, sub umbra scholæ mendicantes, nec aliud quam ludentes. Si inuitentur ut inserviant aliui, recusant: ut discant scribere quo lucentur alii, quid, notutit. Adeo dulce est illud miserum ac fer  
 q didum

didum ociam. Quid porrò fiet de talibus postea  
 quam adoleuerit ætas? Nesciunt literas, oderunt  
 religionem, nullam artem didicerunt. Quid nisi ut  
 procurrant in bellum, & sub militiæ titulo discant  
 latrociniū. Germania gignit ingenia neutriç infeli-  
 cia, si accederet à teneris annis recta institutio. Sed  
 his peiores sunt, qui quum & ætate sint prouecta,  
 & literas sciant, & sacris sint onusti, tamen ociosi  
 uagantur militari specie, impudenter abutentes,  
 non meo tantum, sed magnorum regum ac princi-  
 pum titulo, quum nulli prorsus inseruant, nisi Co-  
 mo & huius uxori Methæ, non aliter quàm gule  
 uentriç sint nati. Horum stratagemata nunc non  
 refero. Est enim Ἰλιὰς κακῶν. Tantum admoneo,  
 ut & ipse à talibus caueas, & amicos ut caueant ad-  
 moneas. Quomodo cauebo inquies? Si nihil illo-  
 rū fabulis credas, nisi literas à nobis attulerint mea  
 manu notatas, in quibus nominatim commenden-  
 tur. Dicent se incurrisse in latrones, omnibus exüs-  
 tos bonis, ademptis etiam epistolis. noli credere.  
 Fueum tu pro tua prudentia uel ex ipso uultu de-  
 prehendes. Quanquam ne epistolis quidem faci-  
 le fidem habeas. Senæ discipulum habui Archie-  
 piscopum titulo S. Andreæ, Iacobi Scotiæ Regis  
 nothum, dexterimo ingenio iuuenem probæcç  
 indolis. Is in marginibus codicis quem nunquam  
 uiderat

uideram sic effinxerat manum meam, ut mihi pl  
 ñe fuerit impositurus, ni certo scissim eū codicem  
 nunquam à me lectum aut usum. Vrgebat ille di  
 cens me fuisse oblitū, alioquī unde inquit, hæc ma  
 nus tua? Agnosco inquam manū, sed librum nec  
 hunc nec huic similem unquam antehac uidi. Tan  
 dem ridens fasus est artificium suum. Addam  
 his unam historiolam, nec te pluribus onerabo.  
 Christophorus Longolius vir in literis magnus,  
 futurus maximus, si fata dedissent longius æuum,  
 ante annos fermè duodecim nos Louanij inuisit,  
 repetitus Italiam. Post unum atq; alterum con  
 viuium petijt solitarium colloquium. Datum est.  
 Rogauit ecquem nossem Sylvium. Respondi me  
 legisse carmina cuiusdam Ambosiani. Mouit ca  
 put, præterea Franciscum Sylvium Louanij uide  
 ram. Vterq; inquit Longolius, uetus est, hic de  
 quo percontor. Septendecim aut octodecim anno  
 rum erat. Quum uideret me non aliud nosse Syl  
 vium, exponit rem planè iocularis audaciæ, ut ait  
 Comicus. Venerat Romam adolescēs, qui se ficto  
 ut suspicor nomine Sylvium appellabat, clapsus,  
 ut aiebat Longolius, è contubernio Benedictino  
 rum. Acceperat mihi arctissimam esse necessitudi  
 nem cum Paulo Bombasio, quo neminem Italum  
 expertus sum ingenio cādidiore. Senserat Leonis

q 2 Decimi

Decimi propensum in me fauorem , quo utinam  
fuissem dexterius usus. Hic Syllius cōfingit duas  
epistolas tanquam à me scriptas in ipsius cōmen-  
dationem, alteram ad Bombasiū, alteram ad Leo-  
nem . Bombasio facile imposuit , homini minime  
suspicioſo, tū mihi ſic amico , ut ſiquis uel ſalutem  
attuliffet ab Erasmo , fuerit toto pectore comple-  
xurus. Illud generofæ cuiusdā audaciae fuit , quod  
ſibi tam impudentis fuci conſcius , non ueritus eſt  
adire principem totius orbis maximum Leonem  
pontificem . Habeo inquit, epistolam ab Erasmo  
admissus eſt, reddit confictas literas. Quis ſuſpica  
retur iuueni tam audax facinus in mentem uenire  
potuiffe: Leo pro ſua humanitate complexus eſt  
hominem, & utroq; brachio ſubleuauit procum-  
bentem omnia pollicitus . Tantum ualuit Erasmi  
facta commendatio. Quum autem Syllius mora-  
retur redire ad ſumnum pontificem , ipſe Leo ſua  
ſpōte rogauit, ubi eſſet ille iuuenis ab Erasmo com-  
mēdatus. Is autem febre correptus in itinere periję  
priuſquam ad pontificem perueniret, qui tum age-  
bat Ostia. Sic interrupta eſt ea fabula , alioqui  
multos aetus habitura. Si qua ſimilis auis deuola-  
rit in ueſtram Polonię , fac amicos admoneas,  
præſertim cādidos ac munificos, nominatim R.D.  
Petrum Episcopum Cracoviensem, Andream Cri-  
tiuſſa

num Episcopum Plocensem, Ioānem Dantiscum  
Episcopum Culmēsem, Erasmus Abbatem Cla-  
ræ tumbæ, Ioannem Lascanū præpositum Gnes-  
nensem, Seuerinum Bonerum, Antoninum Me-  
dicum, & si qui sunt alij qui nos impense diligunt.  
Non quod obstem quo minus illi suas opes in q̄s  
uoluerint erogent, sed quod amicis nolim imponi  
mei nominis lenocinio , nec me his falsis nominis  
bus obligari. Te cum omnibus tibi charis opto q̄  
prosperime ualere. Datum apud Friburgum  
Brisgoiae Calendis Nouembribus. M.D.XXXIII.

Clariss. viro D. Doctori Julio Pflug serenissi-  
mi Georgij ducis à consilijs.



I T E R A S tuas ornatissime Iuli sem-  
per desidero, ueniūt enim mihi mul-  
to gratissimæ. Scribendi tamen offi-  
cium nunquam abs te requiro , qui  
sciam istam humanitatem tuam nusquam in offi-  
cio cessare posse. De synodi decretis factus sum a/  
liorum literis certior. Bene habet, si Conso litatum  
est, nunc supereft, ut ἡμὶ γνῶλιορ nobis propicie-  
mus. At nō nihil uereor, ne τεῖς μέγισθον θεον θ-  
εον τείστησθε faciat quod remiges solent, qui  
quum aliò spectent, aliò nauim impellunt. Sed  
quando hæc ut ait Homerus, οὐδὲ γένεσι sita  
q 3      sunt

sunt, nobis nihil restat nisi ut precemur lætum exilium. Epistolam meam laudum tuarum buccinatricem, quam dicas nō sat̄ intelligo. Nec tamen est mihi Iuli quur eo nomine gratias agas. Scitum est illud Euripidis nō fallor, cui quum quidam dixisset, ego te ubiqz & apud omnes magnopere prēdico, & ego inquit illud tibi præstidi, ut uera prēdicares. Retulit laudatori gratiam, qui se præbuit laudibus dignum. Vale. Datum Friburgi x. Calend. Septemb. An. M. D. xxxii.

Generosiss. adolescenti D. Petro à Castello

Des. Erasmus Rot. s.



v o d. non statim pro tuis lautissimis  
mi Petre Xenijs, sed lautioribus lite-  
ris gratias egi, si forte miraris, tū tem-  
poris gemino grauabar incōmodo.

Nam ad pituitā quę me permoleste discruciat, accessit noua laborū sarcina, quę uel sola uegetū & integrū reqreret ingeniu. Nā adagiorū opus mihi avūlis avū parturiēdum erat. Qui quidem labor me iam Apophthegmatū rhapsodia delassatum excepit. Sic datur Erasmo respirare. Hæc itaqz mihi deuotanda sunt, posteaquam memet huic ascripsi glebae. Nunc igitur quando paulo cōmodior esse cepit ualetudo, & minus urget laborum sarcina, epistolam illam mi Castellante tuam quam perpe-  
tuat tua.

tuæ tuta erga me fidei benevolentia & uelut obsi-  
 dem esse uoluisti, lubens relegi, non ob id tantum  
 quod mihi non secus atq; in speculo repræsentat,  
 raram quādam ac penè dixerim fatalem tuam in  
 me pietatem, uerum etiam quod Græcarū uocum  
 emblematis picturata testatur te pari studio u/  
 tranq; literaturā amplecti. Quo sanè nomine mi-  
 hi uideris egregie fortunatus, cui florētibus annis  
 ΤΩΡΥΙ ΤΡΥΙΡΩΤΑ deus immiserit, ut tibi dulcius sit  
 in musarum uirectis obambulare, quam conuiujs  
 aleaue bonas horas perdere male. Colloquiorum  
 opus parum auspicatis aiibus genio & sinistro na-  
 tum uideri poterat, nisi mihi te ut scribis multos &  
 tui similes conciliasset. Posteaquā enim iuxta pro/  
 uerbium, omnibus placere ne Ioui quidem fatis  
 concessum est, non mediocre solatium est, aliquot  
 candidorum hominum emeruisse calculum. Sed  
 utinam eiusmodi sit argumentum illud, ut quod  
 sicuti scribis, arrisit puero, perpetuo probari merea-  
 tur. Veniet enim tempus, quum tu quoq; forsitan  
 dicturus es, non eadem est ætas, non mens. Quid  
 in Colloquijs uideris nescio, forsitan amor oculis  
 tuis fecit præstigiū, cui frequenter ut ait Siculus ille  
 πά μή καλλά καλλά πέφανται. De nostro cōgressu  
 non est quod uel mihi gratias agas, uel tibi gratu/  
 eris. Neq; enim Erasmus, sed Erasmi umbram  
 uidisti

uidisti. Quid enim aliud est γράφως αὐτής, ἢ σκιᾶς  
τοῦ θεατῶν. Verum si tantus est amor in me tuus or-  
natissime iuuenis, ut iuuet etiam cum umbra collo  
qui, istius quidem uoluptatis scito tibi paratam fo-  
te copiam, quoties erit cōmodum. Quod si quan-  
do possis istam si non tragicam, certe splendidam  
pēsonam quam tibi fortuna imposuit, deponere,  
& uno Claudio Alberico uelut Achate comitatus  
ad pullum simul lacerandum uenire familiariter,  
aut etiam inuocatus si libet, obrepere, quemadmo-  
dum Nasica solet Ennio, iuuaret interdū tali con-  
tubernio repubescere. De perdicibus iam iterum  
missis habeo gratiam, nec illibēter debeo pro tuo  
in me studio. Nolim tamen te posthac eadem te-  
neri solitudine, quādoquidem corpusculum hoc  
propè tam aridum est, quām est σύφας. Vix iam  
fert istarum auium esum. Itaq; tum pro dono me-  
ditabar distichon.

Lauta mihi Petre mittis edulia, sed stomachus de-  
Vis mage qd' placeat mittere, mitte famē. (est  
Demiror autem quur Apophthegmatum opus  
octo iustis uoluminibus absolutū libellum appellandū putaris, nisi quod arbitror hoc tibi dictum  
γλωττῶς καὶ ἐρωπικῶς μᾶλλον ἢ μειωπικῶς. Natū  
& quae tenere amamus ὑποηρευσμῶς ὀνομάζομέν  
exorcūlam, filiolām, corculūm, solatiolū. Utinam  
autem

autem ille libellus tantum voluptatis simul & utilitatis adferat studiosis, quantum mihi sudoris attulit. Sunt quibus facile uidetur Apophthegmata aut Proverbia scribere, sed libros & chiliadas scribere difficile est: qua de re accipe distichon nostrum  
Per facile est fateor proverbia scribere cuius,

At per difficile est scribere Chiliadas.

Superest ornatissime iuuenis cōprecari Christum Opt. Max. ut ego istam tuam in me beneuelentiam perpetuo merear, Tu uero erga liberales disciplinas ac beate uiuendi magistrā philosophiam indies magis ac magis incalescas, honestissimūq; senectuti uiaticū mature colligas. Quod me pulsū iubes explorare quid tinnias, quid opus est exploratore pulsū, quum tu tua sponte iam dudum declaras tibi in pectore καθητε τοῦ χριστοῦ ἐπιτητε. Habis rursus epistolam non solum αὐτόγραφον, uerum etiā αὐτοχειρίως effusam, eoq; καινόγραφον. Atq; hoc ipsum tibi fortasse gratum erit, ut solent amantes neuis amicorum delectari. Sed desino. Vale.

Friburgi xxiiii die

Septemb.

r Claris.

Des.Eras.Rot.Clariss.uiro D.Gerardo ab Assens  
delf,Eq.aurato & Hagensis senatus præsidi s.



V B INDE mihi literis suis aurem uelli  
cat Talesius meus uir clarissime , ut  
ad te dem aliquid literarum , quibus  
saltem declarem mihi tuum . erga me  
studiū haud quaq; uulgare , & notum & gratū esse ,  
quod profecto est , ut esse debet gratissimum . Ve-  
rū si quis ignoret quām iniquis laboribus distri-  
gar hac ualetudine , hac ætate , cui flagitanti iā olim  
missio rudisç debetur , fortassis hac in parte desir-  
erabit in me plusculum humanitatis . Contra qui  
cognitum habeat quas clitellas tergo sustineam ,  
mirabitur me cuiquam omnino scribere , nisi ma-  
gna querpiam urgeat necessitas . Me uero etiā pu-  
dor quidam à scribendo deterruit , quod uererer  
ne nullo dato argumento homo tenuis ad uirum  
præpotentem scribens uiderer alicui non tam gra-  
tias agere quām uenari gratiam . Nunquam fuit  
tam correctis moribus ullum seculum , quo non a-  
liquid præclaræ rei molientibus liuor exhibuerit  
negotium , non oblatrarint canes , nō obgarrierint  
picæ & gracci . Sed non arbitror unquam fuisse  
seculum , quo plus licuerit uel calumnia uel ingratia  
tudini . Eoç mea quidem sententia , non minus de-  
betur ijs , qui uiros egregijs dotibus præditos , uel  
benignitate

benignitate sua souent, uel autoritate tuentur, uel  
testimonij ornant, uel applausu ac laudibus exci-  
tat, quām illis ipsis, qui suis uigilijs suaq; industria:  
de studijs dec̄p; rep. bene mereri nituntur. Tale si-  
quid in me esset, gratias agerem tibi meo nomine,  
quod candido tuo suffragio, & studijs meis calcar  
addas, & aduersus maleuolorum latratus πρόμαχον  
χρ̄ p̄stes, ac θεωρεῖσθαι. Nunc quoniam ni-  
hil in me repetio, quod istum fauorem promereas  
tur, apud me quidem erubesco, sed hoc magis ar-  
bitror me tibi obstrictū, quo minus isthuc hono-  
ris promerco. Itaq; tibi uir egregie non tam meo  
priuatim, quām publice studiorum ac pietatis no-  
mine gratias ago. Siquidē dum mibi sic faues ob-  
eas res, quas in me sitas esse credis, nimirum ipsis  
uirtutibus isthuc honoris habes, quibus optimo  
iure fauent omnes uerè nobiles. Proinde dignus  
es Assendelfe generofissime, quem omnes ubiq;  
liberalium studiorum ac ueræ pietatis cultores di-  
ligant: pr̄fertim quum uerisimilimum sit eos, qui  
doctrinam ac religionem suspiciunt in alijs, ab his  
non esse alienos. Tu certe ut accipio, non minus or-  
nas Hollādiam pr̄claris animi dotibus quām ma-  
iorum imaginibus. Nam generis ornamēta bona  
ex parte debes uel maioribus tuis, uel fortunaz: ista  
sibi propria sunt. Pro candore tuo fateor me tibi

r 2 plurimum

plurimū debere, & sanè debedo quām lubens. Vtī  
nam & de tuo iudicio mihi possim merito gratula  
ti. Habes professum nomen, habes clientem tibi  
deditum, cuius obsequium si qua in re uolueris re  
quirere, faxo intelligas, ut desint oia, certe prōptā  
& accinctam uoluntatē non defuisse. Libebat plu  
ribus tecum agere, sed interpellant labores. Nam  
præter alia minutiora, eodem tempore excudun  
tur Basileæ Adagia aliquot centurijs aucta, & Lu  
tetiæ Hieronymus uix æstimandis laboribus iam  
quartum à me recognitus. Opto te cum omnibus  
tibi charis quām prosperrime ualcre. Datū apud  
Friburgum Brisgoiæ quarto Calen. Nouembri.  
Anno M. D. XXXII.

Des. Eras. Rot. Clar. D. Guilhelmo ab Horion



R N A T I S S I M E uir, mari tranqui  
lo nauigare non est difficile, sed ma  
gna tempestas requirit artificem, qui  
rectum teneat clavum. Olim quam  
paganorum sævitia tormentis ac mortibus debac  
charetur in Christianos, erat secessus quò se recipie  
rent: illic abditi uelut in altero mundo quietā age  
bant uitam. Nunc rebus tñdicq; sic exulceratis, in  
quem portū se recipiat aliquis: Ego sanè nullum  
uideo, nisi quis in seipsum secedat & animi tran  
quillitatem.

quillitatē in ipso quærat animo. Solus enim Christus uerè tranquillat animum. Is intra nos est si uelimus. Abunde magnum solatium suppeditant libri Christum spirantes, horum alloquio quid esse potest in hac uita, uel iucundius uel salubrius. Hac in parte felicitati tuæ gratulor, cui contigerit ocium cum dignitate. Mihi iampridem flagitanti rudem, in hac harena cadendū est. Vnum hoc me cōsolatur, quod iam è propinquo apparet portus ille communis, qui fauente Christo, laborum ac molestiarum omnium finem allaturus est. Forsitan miraris, quod hæc ad te ignotus. Non potes me tibi prorsus ignotum dicere, quum tecum ut scribis crebro fabuler, utinam te digna. Olim Loranij cognoui iuuenēm quendam, Hornici cognominis. Sed eum arbitror te non esse. Evidem cū pio ascribi in numerum tuorum clientum, paratus ad omne obsequiū, si quid erit in quo possim tibi gratū facere. Bene uale. Datum Friburgi xxi die Aprilis An. M.D. xxxiiii. Quum hæc scripsisse, relecta quadam epistola Goelenij, qua petit ut tribus uerbis te salutarem, interschedas confusas repperi & tuam ad me epistolam, quam aut non legeram, aut ut sit, in tanta turba epistolarum legeram parū attente. Subuerebar ne parum frontis habere uiderer quod ignotus ultro te literis la-

r 3 cessarem

cesserem, sed hoc scrupulo me tua liberauit epistola. Prior ad amicitiam prouocasti : inhumanitatis futurum erat non rescribere. De reditu meo prorsus incerta res est. Corpusculū hoc collabitur, tantum abest ut magnis itineribus sufficiat. Et aula nostra pertusum est dolium, sicut semper, dat nihil: & teri tantum obtrectant, & qui student uideri magni fautores, nihil aliud quam deplorant. At istuc est conduplicare miseriam. In calce inquis? Egōne hominem clarum & candoris eximij conscribam in calce amicorum? Tum uerè essem, quod olim fuisse dicuntur Bataui, trux & à gratijs alienus. Inter præcipuos amicos ac patronos scribetur Guilielmus Horion. Et si qua in re meum desideras officium, fac periculum, nūm hanc ex animo loquatur Erasmus. Rursum uale uir clarissime. Friburgi eodem die & anno.

Des. Erasmus Rot. Eustathio Chapusio Oratori  
Cæsaris in Anglia. s.



V L L A possessio charior aut preciosior syncero amico. At quum alioqui non ita multum absim ab Iro, tamen in hoc opū genere mihi Lucullus quidam uideor, qui quotidie competio longe plures esse amicos, quam existimabam. Falleris mihi crede, si putas mihi sacerdotium opimum futurum fuisse

fuisse gratius, quam Eustathium amicum, cuius  
 imaginē in literis tuis expressam summa cum uo-  
 luptate perspexi. Adeo fluūt in affectato quodam  
 candore ac puritate, ut hinc ingenium ab omni fu-  
 co alienum facile deprehendas. Accessio aut si ma-  
 uis cognitio amicorum hoc tempore ob id mihi iū  
 cundior est, quod annus superior quosdam exi-  
 mios ademit. In Anglia Archiepiscopum Cantua-  
 riensem, unum προλόγων αὐτάξιον ἄνθετον. In comitā  
 tu Cæsaris Alphonsum Valdesium: In Polonia  
 Christophorūm à Schidlouuicz, eius regni supre-  
 mum Cancellarium. Cæteros taceo, fortuna mino-  
 re, sed pari sinceritate: inter quos est Zacharias  
 Deiotarus Phrysius qui solet famulos meos quos  
 interdum in Angliam ablegare cogor, labens &  
 alacriter excipere. Id officium eò fuit gratissimum,  
 quod uulgaria diuersoria parum tuta sunt à conta-  
 gio sceleratæ pestis, quæ nuper ab Anglis quibus  
 iam plusquam quadraginta annis nimium fami-  
 liaris est, in nostras regiones demigravit. Proinde  
 quod Quirinum meū isthic collegeris scito te ma-  
 gnam solidamq; apud me iniisse gratiam. Atq; is  
 quoniam tunc rem parum ex animi mei sententia  
 gessit, quorundam amicorum tui dissimilium ope-  
 ra, rursus istuc emandatus est, si forsitan hæc alea  
 mihi cadat felicius. Quam imaginē in scriptis meis  
 uideris

uideris nescio, unde tantam amoris flānam cont  
ceperis, quum sciam infra mediocritatem mea esse  
omnia. Verum hoc amplius debeo tuo in me stu  
dio, quo minus agnosco in me meritorum. Certe  
nihil præterea est Erasmi, quod tu spectatu dignū  
existimes. Videres enim non hominē, sed σύφαρη,  
ac simpliciter miserū, nisi persuasum haberemus,  
hoc exuio deposito, nouum nitidumq; iuuenta  
animal emersurum. Quibus fluctibus iacter, quib  
bus agiter uentis tu quoq; uideris agnoscere, sed à  
propinquo apparet portus, molestiarū omnium  
finem allaturus fauente Christo. Male audio, pro  
scindor linguis, idq; potissimum ab his de quibus  
optime sum meritus. Dicas esse fati mei. Sed tamē  
typographi aiunt uix aliud nomen esse uendibili  
lius. Credetem illos blandiri, nisi sic à me semper  
aliquid flagitarent, si nihil aliud certe præfatiuncu  
lam. Addam aliud argumentum. Mundus nunc  
undiq; plenus est errorum, qui uel deseruere sua  
fodalitia, uel alias ob causas profugerunt. His quo  
niā ferè Leberide sunt nudiores, uarijs artibus  
quærendum est uiaticum. Nam uenter mirus est  
artifex. Quidam è scriptis meis norūt amicos me  
os, Hos adeunt, iactant se esse famulos ac discipu  
los meos, etiam si nūquam me uiderint. Atq; hoc  
foco non mediocrem pecuniā extorquent ab illis.

Vbi

Vbi metuunt ne fucus deprehendatur, mutant pa  
scua. Hoc te nescire nolui, ne cui credas, nisi qui no  
minatim literis meis commenidetur. Quatuor  
aix istuc satis est. Dicam quod rideas. Cum Loua  
nij esset apud me Christophorus Longolius, nar  
rauit iuuenem quendam elapsum è Benedictinis,  
nomine Syluiū, ficto opinor, uenisse Romam, at  
tulisse literas meo nomine scriptas ad Leonē pon  
tificem, quibus diligenter cōmendabatur. Audie  
rat enim me tum apud Leonem esse gratiosum:  
nec dubito, quin effinxerit manum meam. Ponti  
fex hominem utroq; brachio complexus est, om  
nia pollicens. Quumq; is nescio quō profectus es  
set, Leo ultro rogauit, quur non rediret Syluius.  
Sed ille correptus febri perīt. An non hanc meri  
to dicas audaciam iocularē? Sed ut finiam vir  
egregie, tametsi me hoc nomine superas, quod pri  
or & literis & officijs ad amicitiam prouocasti, ta  
men quod supereſt, enītā ne mutua benevolētia  
uidear patū respondisse. Porrò si quid erit, in quo  
tibi uicissim, uel cōmodo uel uoluptati esse queā,  
experieris promptam & amicam uoluntatē non  
deesse Erasmo, ut alia desint omnia. Cætera si libe  
bit, cognosces partim è schedis memorialib. quas  
tradidi famulo, partim ex ipsius oratione, quem  
expertus sum esse bonafidei, minimeq; vanum.

Maiorem in modum dolco Anglis negotium exhiberi à Schottis. Videor enim mihi plus isti regioni debere, quæ mihi tot eximios peperit amicos, quam ei quæ me genuit. Vehementer tamen angit me Hollandia indignis tractata modis tum à Danis quod nouū est, tum à Gelrijs quod nouum non est. Oraculum erat quod dixit Hesiodus πῦν μα νεκός γείπων. Ista sunt τάχις ἀρχόντων λοξὰ σφαῖτηγέματα. Opto tibi omnia lata uir amicissime. Datum Friburgi Brisgoiae xxiiii. die Aprilis Anno m. d. xxxiii.

Erasmus Rot. Clar. V. D. Abeli Colstero s.



PISTOLA tua salibus Atticis undicq; scatens, præterç quod festiuissimis leporibus exhilaravit animum meum, etiam hoc nomine fuit in primis iucunda, quod declarat te & recte ualere, & suauiter age re, quod ut tibi perpetuum sit precor, uiranimo meo charissime. Liberet tibi οὐμπάτερεψ, nisi hoc tempore centum epistolas scribere cogeret. Risisti quod scribis meam epistolā tam fiticulosam, quæ tantum humoris potuerit ebibere, tam leuem, ut suberis uice tantum uirum sustinuerit, ne mergetur. Magnus ille ac mirificus Erasmus quem te uidebis prædicas mihi prorsus ignotus est, nec usq; vius

uisus aut auditus. Deterior illa pars iam plane  $\sigma\bar{v}$ ,  
 $\phi\bar{\alpha}\rho$  est. Utinam melior illa, uel aliqua ex parte ac-  
 cederet ad istam præclaram imaginem, quam no-  
 bis in epistola tua decpingis. Sed hac de re tecum  
 non disceptabo pluribus. Si quid in me boni est,  
 dei donum est: nec tibi possum honeste succen-  
 se, cui talis uisus est Erasmus per nebulam, quam  
 amor immodicus & singularis ingenij tui candor  
 oculis tuis offusisse uidetur. Ex eodem fonte ma-  
 nat ista gratulatio, qua in magna felicitatis parte  
 ponis quod Erasmicorum amicorum albo conti-  
 gerit ascribi. At ego multo iustioribus de causis  
 mihi gratulor, cui ta feliciter cesserit perficta frōs  
 & absterus pudor, ut amicorum catalogum tam  
 splendido nomine auxerim. Id eo quoq; charius  
 est, quod superior annus præcipuis aliquot amicis  
 ademptis in possessione multo preciosissima non  
 mediocrem pauperiem mihi fecerit. Nam ut sum  
 mostantum recenseam: In Anglia periit Guille-  
 mus Vuaramus Archiepiscopus Cantuariensis,  
 Viēnæ in comitatu Cæsaris Alfonsus Valdesius,  
 iam magnus, sed futurus si uixisset, maximus. In  
 Polonia Christophorus à Schidlouicz, eius te-  
 gni supremus Cancellarius, cui dicata est lingua.  
 Recte factum quod Hollādia te in sublimi specie  
 la collocauit, quo magis possis reipub. prospicere,

S 2      quæ

quæ nunc ut audio , eget cordatis & uigilantibus  
excubitorib. Quis unq̄ legit, audiuit, aut uidit ser-  
tulū hoc turbulentius & iniquius? Sed ualeat quer-  
rimonia nihil profutura. Quod ut animū curiæ ne-  
gotijs lassescerē reficias, te soles ad meas lucubra-  
tiones, uelut in viridarium quoddam recipere, uti-  
nam in hortis illis meis aliquid esset, quod uel oculi  
los uel nares, uel palatum posset oblectare Colste-  
ri hominis delicatissimi . Steriles sunt , aut si quid  
pariunt , beta est, aut malua , aut porrum, ut iam  
absit cicuta & aconitum , quæ non abesse clamari  
isti, quos tu lepide uocas barba palkioq̄ uerēdos.  
De uiro, de quo quid sentiam rogas, magnificen-  
tius censeo, quām ut de eius ingenio censuram fer-  
re possim . Librum non legi, sed nāctus eum com-  
modato , quum id temporis ob assiduos labores  
non daretur ocium aliud, mihi à cœna inambulan-  
ti famulus recitauit, idq̄ carptim , selectis aliquot  
capitibus. Cuius erat codex, non passus est eū di-  
ctius apud me manere. Ex eo qualicunq̄ gustu des-  
prehendi hominem esse ardentis ingenij, uariæ le-  
ctionis, & multæ memoriæ, alicubi tamen maiore  
copia quām delectu , ac dictione tumultuosa uer-  
sus quām composita. In omni genere rerum uitur  
perat mala, laudat bona . Sed sunt qui nihil aliud  
sustinent quām laudari . Hodie respondi illius ad

me

me literis, admonens ut si qua possit, ab his turbis  
sele extricet. Minatur enim se iam iusto Marte uel  
le cum theologis cōfigere. Id si non possit, & omni  
nino statuerit iacere aleā, duo prospiciat: alterum  
ut pugnet in tuto, ne se conficiat in manus hostiū,  
qui nec uinci possunt nec placari: alterū ne me suo  
admisceat negotio. Scribit enim se non minus pu  
gnaturum armis meis quām suis: ea pars epistolæ  
mihi nonnihil displicuit. Ego hactenus ancipiū  
Marte depugno cum excetra nō septem sed innu  
merabilium capitum, sicut subsisto ob Moriam  
& alia quædam liberius à me scripta. At uereor ne  
ille si perget mihi totam renouet inuidiam. Quem  
porrò fructum spectet non video. Si putat theo  
logos ac monachos, uel corrigi per ipsum, uel op  
primi posse, tota nimirum errat uia. Quorsum au  
tem attinet iam nonnihil fatigatos crabrones rur  
sus irritare, & in bonorum capita immittere? Quid  
acciderit Cornelio Hoen, ipsi melius nostis. Lo  
douico Berquino nihil erat periculi si meis consi  
lijs obtemperasset. Semel uicerat, adornabat tri  
umphum, dissuasi. Non patuit. Erat uir optimus,  
nec humili fortuna, ingenio simplici, liberę lingue.  
Absentē rege apud Hispanos, denuo pertractus  
est in carcerē. Et perierat, nisi mater regis, mox ipse  
rex sublevasset eum, ex Hispanijs reuersus. Paulus

S. 3 post

post è carcere collocatus est in aula commodiore,  
postremo bona fide dimissus est. Semper illi occi-  
nebam eandem canticum, ut arte sese euolueret  
ex eo negotio. Ille sibi promittebat certam ac spe-  
tiosam victoriā, quum ageret aduersus monacho-  
rum examina, aduersus theologicā facultatem &  
aduersus senatum purpuratum. Nihil profeci mo-  
nitis. Ille sibi blandiebatur, Quis exitus? Idem acci-  
dit illi quod Socrati, de quo quū iudices essent mi-  
tiorem sententiam pronuntiatur, ac reum ex mo-  
re percōtarentur qua pœna sese dignum existimā-  
ret, ut inquit in Prytaneo alar ex publico, qui hoy-  
nos apud Athenienses summus habebatur. Iudi-  
ces tam arroganti uoce prouocati damnarunt il-  
lum capitis. Ita quum Berquinum addixissent car-  
ceri, ille cōstanti uultu, appello inquit, regē & po-  
tificem. Qua uoce iudices iritati pronuntiatur, ut  
in Grauia exureretur, Vir incorruptissimis mori-  
bus: de dogmatibus mihi nondum liquet. Quod  
si hæc non mouent istum, saltē ne me inuoluat  
suo bello. Idem sēpe petieram à Berquino, & is se  
facturum promiserat: sed sefellit suo exitio, meo  
graui incommodo. Nunquam theologi censuras  
in me ædidissent, nisi ab illo fuissent lacerstii. Tan-  
tum de iudicio. Cætera cognosces è famulo meo  
fideli qui has perfert. Vale. Clariſs. uiro Aſſen-  
delfio

delfio salutem plurimam. Datum Friburgi Bris-  
goiae xxv die Aprilis Anno M. D. XXXIII.

Des. Eras. Rot. Ioāni Georgio Paungartnero s.



I librum quem patris dicauit uidere cu-  
pis, fac ex ipso petas. Nam hic nullus  
occurrit, qui dignetur sarcinulam su-  
scipere. De pensando officio non est  
quod sis sollicitus optime adolescēs. Inter Gratia-  
mū foedere copulatos mutuæ sunt officiorū uices,  
mercedis nulla est ratio. Et tamen patris tui beni-  
gnitas ultro non uulgari munere pensauit hoc of-  
ficiolū meum, quū ego sedulo cauissem, ne quam  
*avni d'ōps* significationem darem. Misit poculum  
inauratū, munus aptum homini Batauo, sed nunc  
minime Batauice bibulo. Iste tuus in me pietatis  
affectus mihi gratissimus est Georgi charissime,  
quem par est me motuum erga te gerere. Quod si  
quid ex me tibi gratum accidit, quod sanè aut ni-  
hil esse reor; aut q̄z minimi momenti, nō alia ratio,  
ne melius retuleris gratiam, quam si quotidie des  
operam ut teipso melior, hoc est optimi parentis  
similior euadas: quo quidē in stadio tuapte spon-  
te grauitate currentem, non est quod meo hortatu  
extimulem. Non te pœnitet ut scribis, uoti tui, nec  
me pœnitet consilij mei. Idcirco etiam atq; etiam  
admoneo

*gnauiter*

admoneo, ut ex optimis autoribus eligas optimam.  
In hoc albo non est Erasmus, qui tibi fortasse uide  
tur quam est, formosior, nimirum amoris lenoci-  
nio, cui πάθη μὴ ησθλὰ ησθλὰ πέφανται ut ait ille Si-  
cules. Bene Vale. Friburgi XII die Maij m. D.  
XXXIII.

Des. Erasmus Rot. Clariss. V. Damiano à Goes  
inuictissimi Lusit. Regis. Thesaurario primo s.

 v o d famulus meus præter salutem  
nihil ad te pertulit Damiane Clariſſi  
me, nihil aliud in causa fuit, niſi quod  
non ſuſpicabar te tam mature abſolu-  
ta tam longa periodo tua (dicebas enim ſi recte  
memini te uelle luſtrare Germaniam & Galliam)  
rediffe in Brabantiam. Quum me reliquifſes,  
diu mecum ipſe rixatus ſum, quod tam candidum  
amicum tam frigide excepifſem. Primum in nomi-  
ne tuo peregrinabar, tanquam per ſomnium recor-  
dans nomen illud in aliquorum ad me literis exta-  
re. Nullus eſt fermè dies quo nō accipiam aliquas  
epiſtolas, interdum uno plures uiginti. Accedebat  
languor, qui me cōpluribus iam mēſibus nimium  
urgeſ familiariter. His rebus factum eſt, ut noctu-  
demum renouata memoria, uno tantū colloquio  
unaq̄ coena tam amico hospite frui licuerit. Nec in-  
libello

fibello quem reliquisti sciebam quicq; esse tuum,  
 priusquam te prosector, per ocium inspicarem. Et  
 hac in parte mihi damno fuit tua modestia. Ex cœ  
 nœ colloquio sensi te esse uitum bonum, ut olim lo  
 quebantur Romani, liberum, recticq; ac pietatis a  
 mantem. In literis ad Amerbachium nulla erat tui  
 mentio. Scriptæ enim fuerat & obsignatae priusq;  
 thuc uenires. Is tamen me sagacior statim sensit in  
 genij tui dotes, egitq; mihi gratias quod talē ad  
 ipsum misissim. Addebat sibi uisum virū bonum  
 & integrum. Quām facile conciliantur cognata in  
 genia. Adeunt me interdum qui miram præ  
 se ferunt benevolentiam, quum aliquot interdum  
 comperiā longe alios animo quām fronte. Ea res  
 in causa est, ut nonnunq; frigidior sim in accipien  
 dis peregrinis salutatoribus. Sed de te quum mei  
 puderet, mihiq; ipse succenserem, commodum su  
 peruenerunt duæ epistolæ tuæ quibus me consor  
 laris, meq; mihi recōcilias, etiam pro singulari hu  
 manitate si diuis placet, gratias agens: nec hoc con  
 tentus, istius insuper animi pignus ac monumen  
 tum, apud Erasmū Schetum reliquisti, quod non  
 dum uidere contigit, sed qui uidere, prædicant esse  
 rege dignum. Cæterum quo tu prolixius declaras  
 humanitatem tuam, hoc magis me pudet inhu  
 manitatis meæ. Quid igitur superest, nisi ut quod  
 hactenus

hactenus cessatum est, iuxta Græcorum prouerbium posterioribus officijs sarciamus. Id uero clarissime iuuenis sic à me curabitur, ut intelligas omnia potius mihi defuisse, quām studiū ac propensam uoluntatem. Quod aīs Louanij iactatum à nescio quibus, me ab his stetisse, qui probat ἀπόστολος βασιλικὸν, querisq; quid sit talibus respondendum. Quid aliud respondeas optime Damiane, quam illud è psalmis: Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Quancq; satis scio tibi nequaquam istud à uiro graui fuisse auditum, sed à spermologo quopiam & actitomytho rabula, quo pestilentissimo hominum gente nunc undiq; scatet mundus. Nullus inquā mortaliū ullam syllabam ex me audiuit, approbantem aut improbantem hoc factum. Hoc apud omnes ingenuē præ me tuli, mihi non vulgariter molestum esse principem alioqui felicissimum in eum Labyrinthum incidiſſe, cui cupiebam cum Cæsare per omnia conuenire, quod intelligerem id ad publicam orbis tranquillitatem summopere conducere. Quæ fuisset autem mea non dicam temeritas sed amentia, si nec postulatus nec rogatus de re tam ardua pronunciaſsem, de qua tot eruditus apud eam gentem episcopi, atq; ipſe adeo legatus Apostolicus Laurentius Campegius uir utriusq; iuris

itris callentissimus, ferre sententiam contabantur.  
 Merito amo τὴν μονάρχην, ut cuius animum semper propitium ac fauentem sum expertus. Quamquam ab eo tempore, quo cœpit hoc negotiū agi, nihil ab eo beneficij accepi præter animi benevolentiam. τὸν αὐτὸν σύνοικον multis de causis diligebā ac diligo, idq; ni fallor, cum bonis omnibus, quam arbitror nec ipsi βασιλεῖς inuisam esse. Cæsari principi meo, cui iuratus sum consiliarius, præclare de me studijsq; meis merito, nisi me agnoscam omnia debere, aut uehementer stolidus sim, aut insigniter ingratus. Vnde igitur mihi mēs tam læua, ut ultro me tam inuidioso negotio inuoluerē, ad quod si fuissē uel rogatus uel flagitatus, manib; pedibusq; fuerim recusaturus. Nullus unq; principum super hoc argumento meam requisiuit sententiam. Tantum ante annos duos, adierūt me duo ex aula Cæsaris nobiles, uno atq; altero, colloquio urgentes me, ut quid de ea causa sentire, exponerem. Respondi id quod erat res, me nunquam ad eam quæstionē intendisse animum, de qua uiderē summos tū autoritate tum eruditio, ne uiros tot annis ambigere. Facillimum esse pronuntiare quid ego optarem, at pronuntiare quid ius diuinum atq; humanum cōcederet negaretūe non modo multorum dierum cōsiderationem re-

t 2      quirere

quirere, uerum etiam circumstantiarum causæ cognitionem. Illi professi se nihil ex mandato Cæsar is agere, discesserunt. Præterea nemo mortalium me super hoc interpellauit negotio. Ergo quum sit impudentissimum mendacium quod nugator ille quisquis fuit ad te pertulit, suspicor tamē unde artipuerit occasionem, ut iuxta proverbiū, malis præter occasionem nihil deest, ad quoduis audet dum facinus. Ei quem ὁ βασιλεὺς dicitur sacerum asciscere, dicaram Psalmū uigilium secundum idcū ante annos complures, ut id facerem ab ipso rogatus. Est enim vir ut uno ore prædicant omnes unus propè inter nobiles eruditus, animo cū planè philosophico. Hoc officium meum grato amplectus animo, petiit, ut aliquid æderem in Symbolū quod dicitur Apostolorū. Feci quod uoluit, eo cū lubentius, quod res ad omnium utilitatem facere uideretur. Hic nullum uerbum est, quo ad τὴν ἀρχὴν causam attinet, cuius tamen vir ille, ut accipio, nec autor nec instigator fuit, utpote quietis quam opum aut honoris amantior. Quum Cesar & Franciscus Galliarum rex bellis inter se conflarentur, utriqū dicaui meas lucubrations, neqū quisquam extitit, qui clamitaret me ab hoste Cæsar is stare. Quanto minus habuit frontis, qui columniam istam fabricatus est. Sed hoc de nugamento

mento plus satis. Venio nunc ad eum epistolæ tuæ locū, quo pio affectu deploras Pilapianę genit is exitium, quæ per Christianos principes spolia tur externis bonis, nec finitur internis bonis dite sere, premitur humano iugo, nec docetur suavi Christi iugo colla submittere. Proceres enim illi qui uictorias præda metiuntur malunt imperare beluis quam hominibus. Ea res in causa est, ut pauciores gentes quæ Christum ignorant ad ecclesiæ consortium semet adiungant, uidentes se non ad Christianismum, sed ad rapinam ac miseram ser uitutem peti, & quicquid est malorum morum insignius esse in vita Christianorū. Multo aliud est negotiari, aliud pietatis negotium agere. Itaq; uictorias ducis illius egregij quidē ac fortunati, qui tot urbes litorales spoliauit, coniectis in mare, quibus uehendis naues non sufficiebant, ut ingenue quod res est fatcar, non absq; dolore legi. Sed de negotio militari, præsertim eo cuius qualitatem & circumstantias parum cognitas habeo, satius fuc rit me non pronunciare. Illud in genere dicam: aua ritiam, & imperandi libidinem nō minimam esse causam quur religio Christiana in has sit contraria angustias. Mansuetudine ac beneficentia cicutur & ad manum ueniūt etiam feræ, sœvitia ac maleficij efferantur & illa quæ natura mansueta

t 3      sunt

sunt. Quod autem hac in re per me cupis fieri, per quam lubes obiero. Vereor tamen ut possim hisce nundinis. Sero rediit ex Anglia famulus meus, & qui hic adest typographus unus, mecum totam languit aestate. Adnitat tamen. Quod famulus meus perpelli non potuit, ut uel opera uel pecunia tua ueteretur, nihil illi mandaram, nisi ut ubiq[ue] uita ret omnem petacitatis speciem, meminissetq[ue] ilius uetus prouerbi, τε πάντα, τε πάντη, τε πάντων. Curaram autem ne quid illi posset deesse. Oppidum de quo tibi narratum est, Germanis dicitur Schiltach: Abest à Friburgo octo millibus Germanicis bene magnis: de quo an omnia uera sint quæ uulgo iactantur, non ausim affirmare. Ille Jud nimis uerum est, totū subito conflagrassit, mulierem confessam supplicio affectam. Conflagratio accidit quarto Idus Aprilis, qui dies erat Iouis ante Pascha Anno à Christo passo M.D.XXXIII. Quidam eius oppidi ciues apud huius urbis magistratum rem ita gestam pro comperto narrarunt, quemadmodū mihi retulit Henricus Glareanus quantū meminisse possum: Daemon sibilo signū dedit, è quadam ædium parte, Caupo suspicans esse furē ascendit, neminem reperit. Sed idem signum rursus ex altiore cœnaculo redditum est. Et huic concordit caupo furē persequens. Quum nec illic

illic quisq; appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarij. Illico tetigit cauponis animū, esse dēmonia cum quiddā: Iubet suos esse p̄fenti animo. Acciti sunt sacerdotes duo, adhibitus exorcismus. Respōdit se esse dæmonem. Rogatus quid illic ageret, ait se uelle exurere oppidum. Militantibus sacrificis, respōdit se pro nihilo ducere minas illorum, quod alter esset scortator, uterq; fur. Aliquanto post, mulierculam qui cum habuerat cōsuetudinem annis quatuordecim, quum interim illa quotānis & conserteretur & acciperet eucharistiā, sustulit in aerem, imposuitq; fumarij fastigio. Tradidit ollam, iussis ut inuerteret. Inuertit, & intra horam totum oppidum exustū est. An dæmon indignatus ob inductū ritualē cauponis filiū, & oppidū perdiderit, & mulierē prodiderit, certū nō audiui: non est tamen ueri dissimile. Huius facti uicini tam constans est fama, ut fictum uideri non queat. Feruntur & alia huius generis, sed non libet aures tuas uulgi fabulis remorari. Bonifacius Amerbachius habet epistolam tuam. Hunc tibi policeor constantē & perpetuum amicum, atq; adeo ministrum fidelem iuxta ac diligentē si quid per eum fieri uoles. Vnum hunc, ut p̄sens dicebam p̄fenti, habet Germania uere aureum ac gemmeum, aut si quid his est preciosius. Talis autem ingenij ad quamlibet preciosas

ciosas opes nulla est comparatio. An tamen Get  
mani nomine censeri debeat ignoro, certe Glareus  
nus nō pateretur. Rauracorū est Basilea, & habet  
ea ciuitas peculiaris cuiusdam ciuitatis non obscu  
ra uestigia ē Synodo uniuersali relicta, quæ illuc se  
decim annis durasse fertur. Efficiam autē ut plu  
res & norint & ament D'Amianum, quod mihi bo  
num erit atq; commodum, quippe qui nō medio  
tri nominis mei lucro sum id facturus. Tam splen  
didum munus ultro ab inuictissimo Lusitanæ re  
ge oblatū ex animo tibi gratulor, atq; ut faustum  
felixq; sit precor. Si quando inciderit opor  
tunitas, rogo excuses illam præfationem meam  
in Chrysostomum. Eram multis uerbis diligenter  
instructus, à Lusitano quodam, sed mendoza.  
Hic casus mihi parum felix poterit alio sarciri of  
ficio. Si quid scribes ad Hieronymum Fro  
benium, tuto ad me perueniet. Moliebar redditum  
in Brabantiam, sed quum aliæ res multæ, tum Iup  
piter perpetuo infensus, & ualetudo cœli asperior  
ris impatiens cogunt hic durare, usq; ad Zephy  
ros & nouam hirundinem. Bene Vale. Datum

Friburgi Brisgoiæ viii. Cal. Augusti

M. D. XXXIII.

Erasmus Rot. Francisco Rupilio LL. Doctori s.

**R**go uero mi Rupili Cholero nostro magnis multisq; nominib. obstrictus, & isto me tum libenter tum plurimum debere profiteor, q; instatia sua tuum pudorem expugnarit compuleritq; ut ad me scriberes, & in amicoru meoru numero pfittereris non men tuu, tantu abest ut locus ullus apud me sit isti criminis translationi, qua uis me culpā & offendisionem in Choleru rejccere, qui te ut scribis, ex uercundo impudentē, ex modesto molestū reddidit. Illi quidē iā gratias egi per literas: tibi uero quod ex gratiaru legib. ultro pollicerris, ego uicissim bona fide polliceor, si quid extiterit in quo requires officiu meū, aut ut nō requiras, ubi res ipsa postulabit amici partes. Mihi iā nimiu uiuaci, mors plesiosq; amicos ademit, non Romæ tantu, sed in Anglia, Gallia, Germania & Polonia quoq;. Illud igitur mihi pergratū erit, si quādo significare dignaberis quid Romæ gerat̄, modo sit aliquid eius gereris, ut tuto literis cōmitti queat. Quę scribis de benignissimo moecenate tuo Paungartnero mihi summæ fuere uoluptati, non ob id tantu, quod hominis amicissimi cōmodis non minus ac meis deleceret, uerumetiā quod mihi uelut cōmentariū suggeris ad illustrādā illius gloriā: quā ipsius quidem u modestia

modestia nequaq; ambit scio, sed ad bonos mores  
cōducit publicitus, excellentiū uirorū uirtutes non  
abdi, sed ad imitationē in theatro orbis proponi.  
Vtinam aut̄ ad id pr̄stantū sappetat mihi ora-  
tionis facultas, quantā illius requirūt merita, quan-  
tamq; tu fortassis adesse credis. Vt cūq; id est, cona-  
bor tamē, idq; breui, fauēte Christo. Sed heus tu  
in hoc quoq; tuā operā mihi cōmodes oportet, ut  
efficias ne mea sedulitas offendat uiri prudentissi-  
mi uidestiā. Vt hoc auderem compluriū hortatu-  
sum animatus, sed p̄cipue Zafij, cuius autoritatē  
in omnibus nō aliter q; oraculū sequi soleo. Libe-  
bat quidē at non uacabat in pr̄sentia pluribus te-  
cum. Vale, & Logū si isthic adest meis saluta uer-  
bis. Datum apud Friburgum Brisgoiæ v III. die  
mensis Septembris. M.D. xxxiiii. Si placet ωργή-  
ραφίæ ne offendat ηγεογραφίæ. Sic sum. Me tua  
μακεογραφίæ nunquam offendet.

Des. Erasmus Rot. Paulo Sadoleto s.



V I D ni ego me splendido lucro au-  
ctū esse gaudēā ornatissime iuuenis,  
quum tu pr̄claras animi dotes, quas  
ego iā olim in R.D. Iacobo Sadoleto  
patruo tuo nō amo tantū uerumetiā suspicio uene-  
torq; admirabile eloquentiā cū singulari sapientia  
pietate.

pietate, modestiaq; coniunctam, sic represententes ita  
tuis ad me litteris, ut idem ille mihi in te repubesce-  
re videatur. Hactenus igitur est quod mihi gratu-  
ler. Tibi uero etiā gratias ago mi Paule quod tua  
prædicatione cohonestas nomen meū: utcunq; tu  
pro singulari modestia tua hoc officiū eleuas. Dia-  
logū de studijs recte instituendis per Bonifaciū A-  
merbachiu accepereā priusq; tu mitteres: & quanq;  
erā negotijs ac molestijs obrutus, tamē interdum  
animi lassitudinē illius lectiōe reficiebā, donec in-  
undans occupationū pelagus coegit eū seponere:  
quē tamē mox repetā non cōquieturus donec tor-  
tum deuoraro: interim & te fruar quā licet, & pa-  
truo tuo, quando aliter fatis negatū est. Illud scito,  
R.D. patruū tuū inter syncerissimos amicos meos  
principē tenere locū, idq; suo merito: ei proximus  
tibi dabit, qui illi simillimus es. Habes epistolā ab  
τόγραφοι & ex tēpore una cū dispūctis & adiectis  
quod tu familiaritatis argumentū interpretaberis  
potius q; negligentiæ. Vale. Apud Friburgū Bris-  
goiaꝝ III. Cal. Septemb. M. D. XXXIII.

Des. Eras. Rot. Clarissimis uiris Petro & Chri-

stophoro Mesijs fratribus s.



T hoc compendij faciā uiri nobilissimi,  
amborū epistolis aliquot unica respon-  
debo. Pridem accepi litteras à uobis, ex-

u 2 postū

postulantes, uel quæ est uestra ciuitas, deplorantes potius, quod ad uestra scripta nihil respondissem. Ea res mihi summopere grata fuit, quippe declarans uestrū erga me studiū haud quaç vulgarē. Flagranti enim desiderio omnis mora lōga est, cui lenta est etiā celeritas. Sed posthac uelim reputet uestra prudentia, quot montes, quot cāpi, quot maria, nos dirimant, & per quas ambages epistolæ à Friburgo Brisgoie ad Hispalim Hispanię perferantur, quanç hoc ipsum cuiusdā felicitatis est, si perferantur, uel resignatæ ac semilaceræ. Quod si fors acciderit, ut ad aliquas non respondeā, humanitatis uestræ fuerit huic ætati, ut nullis studiorum laboribus oneretur, nullis morbis frangatur, iam suapte sponte fathiscenti dare ueniā: præsertim, quum undiq; tot ad me litterarū inundent fasciculi idq; propemodū quotidie, ut interdum uix suppetat ociū ad legendū, tantū abest ut uacet respōdere singulis. Illud certe uobis usq; persuasum sit, siue rescribā, siue obtitescā, uestrū istū erga me fauorē esse mihi gratissimū, epistolas aut̄ non gratas modo uerumetiā iucundas. Postremis litteris quas ante paucos dies recepi, significatis meas per bibliopolā esse redditas, quæ res mihi nō minorū uoluptati fuit q; uobis. Hęc prefatus ad rem accinger àλλὰ λεκανικῶς. Inhumanus sim, nisi uestrū erga

erga me studiū amplectar, nec uestræ diffido prudentiæ. Nam fieri potest, ut in hoc negotio perspicaciores sitis quam ego. Meo tamen animo etiam nūm sedet prior illa sententia, qua censui cōsultius esse nobilē illum contatorē imitari, qui maluit sedendo & pugnādo vincere: praesertim quū nō sit monomachia, ut unus cū uno cōmittatur, nec res sit uni cum duobus, quanq̄ accipimus Herculē se duobus imparem fuisse professum, sed uni aduersus tot myrmecias, tot sphecias, tot ranarū phalanges, tot picarū tot gryllorū gargara, tot sturnorū & graculorū examina cōfligendū sit, ut etiā si nec aculeos haberet, nec rostra, nec ungues, tamē ipso garritū possent hominē & quis durum examinare. Quoties reieci manifestas & impudentes illorū calamniās? Et tamen perinde quasi nihil sit actum, in hodiernū usq; diem occinūtur mihi uetera mendacia, idq; libris etiā æditis: Erasmus facit cōfessio nem arbitriā, damnat omnes ceremonias, irridet cultū diuorum, irridet ritus ecclesiasticos, reñet ieiunia Christianorū, damnat ciborū abstinentiam. Soluit sacerdotū coelibatum, destruit uota & ritus monachorū, dānat cōstitutiones humanas. Quid multis strauit uīa Lutero. Iā qui singūt modestiā, quo maiore cum fide calumnientur, aiunt se crede re me bonū uitū esse, nec illa in hoc scripsisse ut hi-

u 3 terum

verū tumultus conſequerentur, Collaudant etiam  
 quod nunc diuersa ſcribā. Hic nimirū hic eſt nigre  
 fuccus lοliginis, hæc eſt erugo mera. Alijs iſto co-  
 lore patrocinentur, ego ſic defendi nolo. Illud inge-  
 nue fassus ſum & fateor, ſi präſciſſem hoc ſeculum  
 exoriturū, multa aut nō ſcripſiſſem quæ ſcripſi, aut  
 aliter ſcripſiſſem, quædā etiā nō feciſſem quæ feci.  
 Prudentis inquiunt eſt diuinare futura. fateor, ſed  
 non omnia. Agnoſco tamē aliqua ex parte ſimpli-  
 citatem & incogitantiā meā. Iſta tamen quæ mihi  
 toties obgāniūt, nuſc̄ reperiuntur in ſcriptiſ meiſ,  
 tantū abſit malitiosus interpres: & in declarationi-  
 buſ meiſ quas iſti palinodias eſſe putant ciuili titu-  
 lo, nihil expono ſecus quām ſentiebā quū illa ſcri-  
 berē, aut q̄ uerbis expreſſi: rurſus excipio lectorē  
 iniquū, cui nihil ſatiſ cīrcūſpeſte ſcribi potest. Ego  
 ſtudioſis ac boniſ uiriſ ſcribebā annotatiunculas  
 aut cōmentarioſ, nō arbitrabar me ſcribere cauicio-  
 neſ aut Syngraphas forēſes. Verū iſti iā mitescūt  
 ut ſcribitiſ. Non magni refert uiri clarissimi, q̄ mi-  
 tescant in me, magis admiror nondum eſſe delaffe-  
 toſ, ſed utinā uere mitescant ad imaginē illius qui  
 dixit: Discite à me quia mītis ſum & humiliſ corde  
 & inuenietiſ requiē animabus ueſtriſ. Tales aliq̄t  
 arbitror & inter iſtoſ eſſe, ſed nescio qua mea infe-  
 licitate fit, ut in quos impingo tam feroces tamq̄z  
 implacabiles

implacabiles comperiā, ut tutius sit cū quo quis Cardinale conflictari quām cum illis, citiuscū placatus sim quēuis regū aut pontificū offenditum quām unū ex istis qui se iactant mundo mortuos, quū uix in alio mortaliū genere magis uiuat regnetcū mūdus. paucos exceptos uolo, utinam possem cū plurimos. Nuprime nouus quidā exortus est, qui pro ciuili admonitione ipsi nō utili tantū uerum, tiam necessaria, sic respondit quasi lapidibus à me fuisset impeditus. Evidē arbitrabar mihi rem fore cū ingenio sedato ac philosophico, sed videor impeditisse in Citeriam quampiā, adeo nihil nō rapit ad male dicēdi occasionē. Ut enim oīmittā ueteres illas ac solennes fabulas, quibus isti solent sua condire cōuiuia, obījcit mihi quod in litteris, imo ut ille loquitur, in omni mortaliū genere primus, imo nō primus sed solus esse uelim. Qd'quū sit impudēs mendaciū & atrox conuitiū, tamē absq; risu legere nō potui. Ego me ipsum haud alio loco pono quām quo quondā oraculū posuit Megareses. Ac ne quid dicā de studiorū proceribus, quorū nulli me unq; & quauī, uideo & gaudeo ubiq; terrarum efflorescere iuuenes, qui me in omni litterarū gene re multis præcurrant parasangis. Impingit & liuorem, sed nullū adfert argumentū, tantū infigit aculeum. Fateor meam naturā mukis uicījs suisse obnoxiam.

nexiā, uerū si satis intelligo quid sit liuor, nullum  
 huius affectus assaultū unq̄ in me sensi, gratia Chri-  
 sto. Arbitror enim esse liuore, quum quis uritur ab  
 aliena felicitate, quæ tamen ipsi nihil adferat incom-  
 modi. Nam si quis doleat hostem uehi ad digni-  
 tatem, quod iam futura sit illi paratior ledendi fa-  
 cultas, metus est potius q̄ Inuidia. At ego quen-  
 dam olim capitalem hostem ad summos honores  
 uectū etiā gauisus sum, quod s̄aepē numero fiat,  
 ut magnæ dignitatis accessio siue per cōtemptum  
 aduersarij, siue quia non uacat per negotia, finiat  
 contentionem: quod in Adriano ferunt usu uenif-  
 se: qui factus imperator forte obuio qui cum acres  
 exercuerat inimicitiā, nihil aliud dixit q̄, euasisti  
 Addit aliud crimen plusq̄ capitale, sed multo om-  
 niū uanissimū. Ait se suis oculis uidisse ac legisse e-  
 pistolā meā, in qua scripserim aperte, nullum in re-  
 ligione Christiana maius malū inueniri potuisse,  
 q̄ quum religiones iste repertæ sunt. Quæ uoces  
 ut nunq̄ inciderūt in animū meum, ita nunq̄ ex-  
 ciderunt, necq̄ calamo necq̄ lingua. Quid fingi po-  
 tut atrocius ad concitandas uniuersas monacho-  
 rum cateruas in exitium meū? Addit: Dices episto-  
 lam nō esse tuam. Vtimā non sit. Si epistola habet  
 ea uerba, quæ recitat, certo sciat non esse meā, sed  
 ab impuro nebulone spiritu diabolico confictam  
 esse

esse. Nec desunt hisce temporibus istius modi strageimatum artifices. Sin est ea quæ fertur ad Seruatum, nihil ibi simile scriptū comperiet: tantum illa de quodam, qui puerilibus annis pertutores & alios protrusus fuerat in religionem, hunc fermè in modum loquitur. Quum multæ essent illius infelicitates nihil tamen in omni uita accidisse inferiū, q̄d quod compulsus esset in hoc uitæ genus ad quod nec animo nec corpore cōpositus esset. opinor hic nihil esse quod iure queat reprehendi. Iam si sensit epistolam fuisse fictam, quur quod & dubium erat & latebat prodit orbi: sin quod leverat parū meminit, cuius obsecro grauitatis erat, in conuictio tam capitali sic incogitantem esse: Cætera non libet persequi. Atq̄ hæc qui toties deuorat, nec ad ista uel calamū habet uel linguā, censem iracūdus. Ipsī si simili perfunderetur aceto, quomo do furerēt: Evidē in tanto conuictiorū strepitu facile me consolor Paulino dicto: Quem diligit dominus castigat, flagellat aut omnem filium quem recipit. Nec illibēter usurpo Christianissimū beati Augustini dictū: Domine hic seca, hic ure, ut paras in æternū: est aliquid uel sic conformē fieri imaginis Christi. Ille uiuēs agnus ipsa puritate purior, quid nō audiuit à phariseis? Vinolētus, seductor populi, dæmoniacus, blasphemus. Quod ludibrij

*nuncius*

x genus

genus non passus est à militibus consputus, arum  
dine percussus, spinis coronatus, colaphis & alapis  
cefus: quur ego qui duriora commerui recusem fla  
gellari, conspui, cædiç maledictis hominū proca  
cium, atq; hoc clementi pharmaco purgari;. Con  
solatur & illud animū meum, qd à sanctis uiris di  
ctum & ab æque sanctis probatū est, Longe alia  
esse iudicia dei, alia hominum. Quod si istis sedet  
sententia non conquiescere donec me ad crucem  
adegerint, orabo dominum ut mihi largiatur pa  
tientiam, illis mentem meliore. Interea mihi decre  
tum est cum hoc animantium genere posthac nec  
habere similitatē, nec arctam necessitudinē: alio  
qui christianā pacem habere cupio cū omnibus,  
dabo cū operam ut id assequar, quod quidem in  
me erit. Hoc animo uelim omnes etiā esse qui pro  
me depugnant. Postremo fingite me unum cum  
uno cōmissum, an non æquissimū est, ut senex iu  
ueni cedam harenā? Vetus exemplum est, sexage  
narios de pontibus deiçci, an nō igitur tempus est  
ut ego iam prope septuagenarius me subducam è  
studiorum comitijs: ac ius suffragiorum alijs ce  
dā: Multo aut̄ equius est ut à iuuenilibus digladi  
ationibus abstineam. Mira est humanorū ingenio  
rū peruicacia, & sibi quisq; pulcher est. Postremo  
quibuscunq; plumis tegimur, homines sumus om  
nes.

ties non angeli. Fateor absq; literis ἀβίωρην τὴν  
βιορ, at non uiuit absq; litteris, qui piorum homi-  
num euoluendis libris semet oblectat. Ago nunc  
rem seriam, ea cuiusmodi sit, è libello quem simul  
cum hac epistola recipietis cognoscatis licebit. Ti-  
tulus est, De preparatione ad mortem. Accepī &  
Christophori Fontani epistolam, mire facetam &  
argutam. Quād ille multa paucis expedit. Vehe-  
menter arrisit hominis ingeniu, quod tamen in ar-  
gumento plausibiliore cupiā exerceri. Itaq; scriptū  
hoc non fuisse euulgatum gaudeo. Dignatus est  
ille librum Franciscani maiore honore ἐπειδή ego:  
tum ut appareat deuorauit. Ego tantū paginas ali-  
quot degustavi, idq; carptim, moxq; libellū misi  
Alphonso Valdesio, quē amicū longe candidissi-  
mum mihi fata uidetur inuidisse. Epistolā meam  
quā cogitatis ædere, si nondū est euulgata premi  
malim. Desiderant, inquitis, in te modestiā. His ea  
epistola obturabit os, utpote modestissime scri-  
pta. Quid facias uarijs ac morosis hominum iudicij?  
Qui falsis & atrocibus calumnijs interdum &  
furiosis cōuicijs, ultro lacerat hominē, vindicant si-  
bi christianā modestiā, & in eo qui suā innocentia  
defendit ab impietatis crimine desiderant mode-  
stiam. Quam obsecro modestiam. Ut pro male-  
dictis & calunijs gratias agat, & in gratiā ipsorum

x 2 fateatur

fateatur impietatis crimen à quo se nouit esse puerum. Nec istorum refert quod ea res gigneret grave infirmorum offendiculu: tam accuratā honoris sui rationem haberi uolunt . Quid isti modestiam appellēt nondū satis intelligo. At sunt aliquot, atq; hi quidem nec indocti nec leues, qui in apoloḡis meis improbat immodicā modestiam, existimantes malo nodo malum fuisse adhibendū cuneum: & si requirunt modestiæ nostræ specimen, legant Declarationes meas. Quanq; æqui iudices fatetur me nusquam oblitum moderationis ac civilitatis, præterq; in Apologia qua respondeo Sutori. Is enim quum haberet malā causam, & uersaretur in argumento de quo iudicare non poterat , tamen effreni petulatiā debacchatus est in me uir & theologus & Cartusianus. Quid igit: an isti protinus ob unā epistolā me in modestorū albū adscribēt: Non arbitror , Sed alij dicēt esse fucum, alij causa buntur me facere quod galli gallinacei uicti solēt, demissis alis è certamine fugere: ac pro modesto iactabunt esse timidum. Quin & illud auguror futurum, ut epistolam epistola pariat: si ista prodierit in publicum , is cui scripta est non sinet premi suam. Nam ea quoq; cum uestris litteris mihi redita est. Quę quo animo scripta sit deus nouit, ego certe in bonā partem interpretor. Non enim operet suspi-

et suspicacem esse Christianam charitatem. Salutabitis hominem meis verbis amâter, simulq; per suadebitis nequaquam esse malevolentiaz quod non respondeo: Imo ob hoc ipsum nō respondeo quod cupiam mutuam inter nos benevolentiam esse perpetuam. Verum est quod Græci dicere solent, in multorum amicitias silentio dirimi: sed rursus experimento uerum esse comperi, quorundam amicitias melius ali silentio quam colloquijs aut litterarum uicissitudine. Sum frequenter in scribendo simplicior, aliorum animos ex meo æstimans. Verum ea res mihi non raro male cessit. Vos quoq; uestra humanitate dignum feceritis, si iuuenis animosi cursum non impediatis. Fortassis eueniet illi quod solet vino generoso. Acerbius est, dum est mustum, uerum posteaquam ætate deferbuerit fit mitius. Aliquid dandū est iuuentuti, quæ philautiæ lenocinio, modo ne sit immodica, extimulatur ad industriā honestosq; labores. Habeo gratiam uestræ diligētiaz quod Lodouici Viuis epistolam ad me miseritis: quam si scripsit ex animo, suspicati uidef; me refixisse in amicitia, quod litteris suis laudarit Franciscanum: quæ suspicio uidetur & in uestros animos demigrasse, sed eam nō patiar alius insidere. Itaq; uobis tanquā ē tripode dictum certum & indubitatū esse uolo, istius rei ne levissi-

mam quidem cogitationem unquam descendisse  
in pectus meū. Imo ex laudatricibus illis epistolis  
unicam duntaxat legi eamq; per breuem. Habe-  
bat commendationem, sed ita temperatam, ut faci-  
le quiuis sentire posset, Viuem gesuisse morem hoc  
officiolum flagitanti. Quur aut essem à Viue alie-  
nior, quod amicitiam haberet cum eo qui cum mihi  
simultas intercederet, quum id ne à famulis qui  
dem meis unquam postularim, modo sic exerce-  
ant amicitiam, ut me non lèdant. Louanij quum  
mihi esset capitalis digladiatio cum Britanno, Vi-  
ues habebat interim cum eo non amicitiam tan-  
tum, sed familiaritatem quoq;, nec deerat qui præ-  
dicarent Britannum illius opera fuisse adiutum,  
Mihi tamen ob id nunquā pilo minus charus fuit  
Viues, eamq; de viro docto insimulationem ma-  
nibus pedibusq; repuli. Soleo quosdam amicos  
ultra admonere, ne mea causa recederent ab ami-  
citia eorum quibus cum mihi inciderat concerta-  
tio, perspiciens hoc expedire ad finierendas simulta-  
tes. Demiror autem unde Viues eam cōceperit su-  
spicionē, nisi forte quod ad ipsum rarius do litteras.  
Ego uero ad ueteres & exploratos amicos nō  
temere scribo, nisi quid inciderit occasionis. Nulla  
est regio ubi non habeam aliquot amicos. Quod  
si quoties uni scribo cogar omnibus scribere, duris  
profecta

profecto legibus meum agatur. Proinde si uobis  
hic scrupulus exēptus est, Viuis suspicioi primo  
quocq; tempore medebor. Supereft uiri clariſſimi,  
ut uobis pro iſto erga me ſtudio gratias agam.  
Christophoro Fontano ſalutem plurimam. Da-  
tum apud Friburgum Brisgoiæ pridię Natalis do-  
mini Anno M. D. XXXIII.

BASILEAE IN OFFICINA FROBENIANA  
PER HIERONYMVM FROBENIVM,  
ET NICOLAVM EPISCOPIVM  
ANNO M D XXXIII

